Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Augustus Esmarchius

Sex triginta Obstacula Unionis : Quae Calviniani Doctores prius removere tenentur, quam ulla cum iis de unione deliberatio, incolumi conscientia a nostratibus institui queat : Accedit Confutatio Regii Evangelicorum Philadelphianismi Berentiani, Regiomonti nuperrime excusi

[Hamburg?]: [Verlag nicht ermittelbar], Anno MDCCXIII

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432

Druck Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0001
DFG

86

— theologi. Dissertationen
36.

Fa - 1092 (88)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1854644432/phys_0002
DFG

Q. D. B. V.

Sex triginta

OBSTACULA UNIONIS.

Quæ Calviniani Doctores prius removere tenentur, quam ulla cum iis de unione deliberatio, incolumi conscientia a nostratibus institui queat.

Accedit

Confutatio Regii Evangelicorum Philadelphianismi *Berentiani*, Regiomonti nuperrime excusi.

Auctore

AUGUSTO ESMARCHIO.

ANNO MDCC XIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0004
DFG

VIRO,

NOBILISSIMO, SUMME, REVERENDO, DOCTISSIMOQVE,

DOMINO,

DN. HENRICO BRAKERO,

Pastori in æde S. Nicolai apud Flensburgenses ut vigilantissimo, ita optime merito,

Fautori ac Præceptori suo, omni observantia, cultu & affectu prosequendo

S. P. D.



Ea sunt a TE, VIR SUMME REVERENDE, *beneficia in me profecta, ut nullam* TUORUM *in me meritorum partem referenda gratia assequi possim. Quapropter nihil aliud mihi relictum sentio, quam ut publice profitear, quantopere* TIBI, *quem ad ingredienda sacra studia Principem habui, sim obstrictus. Nullus etiam dubito, quin benevole susceperis pagellas has, amore veritatis oppositas Syncretisticis Calvinianorum machinationibus, quarum nefandam fœditatem ex Decadibus Epistolarum Anti-Syncretisticarum abhinc septem annos a* TE *editis insigni cum studiorum meorum fructu perspexi. DEus quam diutissime* TE *sospitem & incolumem esse jubeat, magno Ecclesiæ Flensburgensis bono. Vale & favore tuo complecti perge*

TIBI.
VIR. SUMME. REVERENDE.

Obstrictissimum

AUGUSTUM ESMARCHIUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0006
DFG

Q. D. B. V.

OBSTACULUM PRIMUM.

Quod inter Calvinianorum Doctores reperiantur, qui semetipsos conspirationis cum Socinianis suspectos reddiderunt.

PROBATIO.

SAmuel Strimesius Inquisitioni in Arminianismum quidem præmisit præfationem de Socinianis in fraternitatem Ecclesiasticam haud cooptandis. Utinam vero se ipsum Socinianismi suspectum non reddidisset! Etenim A. MDCXCVI. W. H. U. L. O. L. Pansophiam, Librum horrendis & blasphemis opinionibus refertum (quem Pammoriam rectius dixeris) approbavit, professus, es sey sehr gründlich / habe ausbündig schöne Schlüsse / sey in der Theorie accurat &c. In hoc libro autem expresse fingitur, Filium DEi esse mundum idealem & conceptionem sive cogitationem Patris p. 75. seqv. Quemadmodum ergo Photiniani Spiritum S. meram virtutem esse statuunt; ita W. H. U. L. O. L. Filium DEi pro mera idea mundi, & æternam ejus generationem pro mera cogitatione habet. Et hæc tamen abominationis plena impietas Strimesio *valde fundamentalis, accurata & eminenter egregiis* (ausbündig schöne Schlüsse) *argumentis suffulta* videtur. Quid? quod Bartholomæum Stoschium, Concionatorem aulicum Brandenburgensem, Lutheranorum persecutorem acerrimum, & Photinianismi fautorem famosissimum, appellat den hocherleuchten seligen Stoschium: Dedic. des Unterr. vom Kirchen-Frieden. Moderatiores quoque Socinianos susceptione haud indignos censet Dissert. de pace Ecclesiastica p. 32. Quin & in hac ipsa præfatione de Socinianis in fra-

fraternitatem Ecclesiasticam haud cooptandis attentionem meretur, quod eos, qui APERTE Deitatem Filii summam, hujusque satisfactionem infitiantur, fraternitate excludat. Quid aliud inde colligere licet, quam divaricatis brachiis a Strimesio susceptum iri, dummodo virus suum paulo occultius ferant, nec tam palam & aperte proponant?

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, fas est, eorum cathedras & suggestus ab ejusmodi suspectis Doctoribus prorsus repurgari. Quod si etiam suspicione ista se liberent, a deliberationibus Henoticis eos tamen penitus abesse oportet, ne scandalum apud infirmos oriatur.

OBSTACULUM SECUNDUM.

Quod Calviniani cum Pontificiis in opprimendis Evangelicis conspirent.

PROBATIO.

EXemplum lugubre conspeximus nuperrime in Palatinatu, ubi Pontificii & Calviniani ita templa una cum omnibus reditibus inter se dispertiti sunt, ut illis duo, his quinque in unaquaque Diœcesi assignarentur. Qua vero distributione vel potius direptione id præcipue agunt Calviniani, ut Ministri Ecclesiarum nostrarum inopia ad incitas redacti, vel solum vertant, vel, si maneant, miserrimam vitam traducant. Vid. Abdruck der errichteten heilsamen Verordnung in der Pfalz pag. 8.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Reformatos nostratibus in Palatinatu reddere oportet Ecclesias, reditus & reliqua omnia, quæ conspiratione cum Papæis inita eripuerunt. OB-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0008
DFG

OBSTACULUM TERTIUM.

Quod persequendi modos a Papæis mutuentur.

PROBATIO.

PRodiit Liber sub Titulo; Der bedruckte Palmbaum Christlicher Wahrheit gezeiget durch Constantium Aletophilum Norib. 1690. 4, in quo accurate Pontificiorum truculentæ opprimendi & delendi Reformatos in Gallia artes oculis lectorum subijciuntur. Quod si vero cum his Calvinianorum machinationes in Lutheranis divexandis & exstirpandis vel obiter conferamus, deprehendemus, persecutiones adversus nos concitatas non multum ab illis abhorrere. Auctor memorati Libri sævitiæ & crudelitatis notam Pontificiis identidem inurit, quod innumerabiles privatos homines, inprimis vero Ministros Ecclesiarum indicta causa damnatos vel trucidarint, vel in carcerem coniecerint, vel exilio multarint. Nonne quæso Calviniani ejusdem criminis rei sunt, qui intra XXIV. annorum spatium ab A. nempe MDLX. usque ad A. MDLXXXIV. ter mille Lutheranos Sacerdotes una cum liberis & uxoribus Palatinatu eiecerunt? Et quem fugit, nostra etiam ætate Evangelicos verbi Ministros passim a Calvinianis in exilium missos fuisse? Ut atroces & horrendas vexationum procellas & tempestates contra nos in Hassia, Saxonia, Silesia, Moravia, Polonia, Marchia, Bremæ, Gedani & Anversæ coortas taceam. Auctor p. 575. seqv. conqueritur, ablatam esse Calvinianis Præceptoribus ludos aperiendi libertatem, imo Parentes eo adactos esse, ut vellent nollent, liberos Pontificiis Magistris erudiendos traderent. Ita & Calviniani hac ratione religionem nostram eversum iri cum Juliano rati, in Palatinatu Lutheranis scholas interdixerunt, & Lanistas pueris eorum præfecerunt, qui fustibus Catechesin Heidelbergensem iis inculcarent. Vid. Sendschreiben der Herrn Debus und Schlosser p. 69, 73, 88. Idem p. 573, 602. feritatem & inhumanitatem Pontificiis exprobrat, quod vetuerint, ne Antistites sacrorum ægrotos vel mœrentes in Nosoco-

ſocomiis vel privatim convenirent, atque illos verbo Divino erigerent & confirmarent, itemque, ne ſtipem amplius in templis colligerent, eamque in pauperes erogarent. Eam dicam & nos Calvinianis merito impingimus, utpote qui non tantum pecuniam, alendis inopibus ſociis noſtræ fidei deſtinatam & collectam, ſuis impertiti ſunt, verum etiam Præcones verbi Divini Heidelbergenſes arcuerunt, ne pedem porta efferrent, ultimum jam reddentes ſpiritum ſacro viatico inſtruendi vel conſolandi gratia. Vid. Sendſchreiben p. 77. ſeqv. Pag. 21. ab auctore commemoratur, ipſos Pontificios falſo primum divulgaſſe, Regem Franciſcum II. morbo comitiali miſere conflictari, & deinde Principi, quo eo magis ejus animus exacerbaretur, Reformatos illius vani rumoris fuiſſe auctores, perſvaſiſſe. Nec minus Crypto-Calviniani, teſte Philippo Nicolai, in Saxonia, ſublato Exorciſmo comminatorias ſubinde ſchedulas conſarcinarunt, easque prorupta audacia & temeritate paſſim in Electorali arce feneſtris inſeruere, culpam deinde in inſontes Lutheranos transferentes, quos hac ratione in capitis periculum vocare ſperabant. Imo Mareſius in Anti-Chriſto revelato p. 34, 36, teſtatur, ſuæ religioni addictos in Gallia tunc temporis libere & publice Papam Antichriſtum vocaſſe, & Eccleſiam Romanam idololatriæ & doctrinarum Diabolicarum inſimulaſſe. Calviniani certe longe ſunt rigidiores, & os Miniſtrorum Lutheranorum, fœditatem ſuperſtitionis vi conſcientiæ expoſiturorum, edictis obturant, & in Elenchum, tantopere in Pandectis divinis præceptum, acerbe invehuntur.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, Calvinianis omnes ejusmodi Papiſſantes contra nos machinationes penitus ſunt abiiciendæ.

OBSTACULUM QVARTUM.

Quod Lutheranos carcere conſtringi curent, quando Calvinianos inter hæreticos ſecundum dictamen conſcientiæ

tiæ ſuæ, Scripturis ſacris & Libris Symbolicis Eccleſiæ noſtræ præeuntibus, referunt.

PROBATIO.

ANno DCC XI. Dominus Hermannus Willmannus, Bremenſis, breve quidem ſed ponderoſum contra Pietiſtas ſcriptum ediderat titulo hoc inſignitum. Noſce te ipſum, Ein wolgeſchliffener und „hellpolirter Spiegel d. i. unterſchiedliche offenbahre Kennzeichen und „Greuel der heiloſen Pietiſten aus gelährter Männer Schrifften wider „die Pietiſten excerpiret. Wornach ein jeder noch ferner ſich zu prüfen „und erkennen hat: Ob er ſich ſelbſt und andere unter dieſen/ denen Rei„chen/ Republiquen und der Kirchen höchſt ſchädlichen Geſinde mit zu„rechnen habe; wegen dieſen gefährlichen Zeiten unſchuldig und einfäl„tig zur Warnung auf conciſeſte zuſammen getragen Eſ. VI. 9. 10.„ Ejus §. VIII. Pietiſtis in animum revocaverat, eorum errores in Pontificiis, Calviniſtis, Terminiſtis & aliis *hæreticis* rejectos jam diu repudiatosque fuiſſe. Eam ob cauſam die XXV. Novembris in Curia, nocte autem inter XXVII. & XXVIII. intercedente in publico carcere (dem Zwinger) militum & apparitorum cuſtodiæ mancipabatur. Carcerem comitabatur inquiſitio, cujus initium a ſpirituali (uti Jurisconſultis audit) tortura arceſſebatur, jurejurando videlicet, quod ad omnes, quæ ipſi proponendæ eſſent, interrogationes ſincere & candide reſpondere vellet. Porro quæſtionibus obruebatur iunumeris, examine interdum in IV. horas protracto. Parens ejus, Bremenſis non ultimi loci Mercator, fidejuſſionem interponere annitebatur, ſed fruſtra. Exemplaria omnia ex ædibus auferebantur, ut ſcriptum doctiſſimi Viri hominum manibus & memoriæ eriperetur. Irritum vero reddebat conſilium Divini Numinis providentia, qua in alio loco repente nova prodibat editio, appoſito captivi auctoris nomine. Frater ejus Dom. Willmannus, Eccleſiæ Stadanæ Miniſter, Bremam proficiſcebatur, ſed re infecta Stadam redibat. Durante inquiſitione captivo ne Advocati quidem conſilio uti licebat. Repetitis precibus vix impetrare poterat, ut ab aliquo fratrum ſuorum inviſeretur, duriſſima tamen conditione

adjecta, ut adductus a scriba (vom Blut-Schreiber) frater nocte & interdiu carcere se pateretur concludi. Accedebant comminationes variæ de scripto flammis tradendo, mittendo in exilium auctore, irroganda multa &c. Verum nec carcere nec minis frangi poterat animus Viri ex Sacris literis edocti, quantum sit beneficium, & quam insigne Christi donum, quando non modo in eum credere, sed & pro ipso pati contingit Philip. I. 29. Et sane CAPTIVUM ESSE JESU CHRISTI tam insignis & tam eminens honor est, ut nullum sit flumen ingenii, nulla scribendi dicendique vis tantaque copia, quæ ne dicam exornare, enarrare modo tanti axiomatis nobilitatem præstantiamque valeat. Postridie Dominicæ Quadragesimæ, qua Evangelium omnes Satanæ insultus una voce γέγραπται repellendos exemplo Christi docet; Epistola vero tolerantiam in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in CARCERIBUS commendat, hora tertia matutina in Curiam adductus consveto tempore sistebatur judicio, prælegebaturque sententia sequentem in modum concepta. "In Inquisitions Sache wi-
"der Hermannum Willdemann in puncto von demselben öffentlich
"ausgegebenen höchst injurieusen und lästerhafften Schrifften/ erkennet
"ein Wohl-Edler und Hochweiser Raht nach wolergangenen Inquisi-
"tions-Acten und darüber eingeholten Rath auswertiger Rechtsgelahr-
"ten für recht; nachdemmahlen Inquisitus zu zween mahlen sich selbst
"pro auctore der evulgirten und von niemanden subscribirten Schand-
"schrifft und Pasquille Nosce te ipsum intituliret, erkant/ selbige allhie
"publice verkauffen lassen/mit Bekennung/ daß er selbige auch zum
"Truck befordert/ darnach durch seine Freunde überall gelegentlich dis-
"leminiret, anbey zu männiglich Aergerniß in publicis locis feil bieten
"lassen/ und um seine boßhaffte intention destomehr blicken zu lassen/ die
"Reformirte Kirche (aus welcher sein Vaterland gröseten theils beste-
"het/ und Er von reformirter Mutter gebohren) unter den Nahmen
"Calvinisten denen benahmsten Ketzern gleich beschuldiget/ ja gar unter
"die Brüderschafft der Heyden/ Juden und Socinianern collocirt, sie
"als hæreticos diffamirt, endlich dieselbe gar/ wie vormahls in der al-
"ten Kirchen gegen die Arianer geschehen/ zu verfluchen/ also auch ande-
re

re Kirchen-Lehrer aufwiegeln wollen / ohne anderweitig anzuführen/„
wie derselbe in dieser seiner Pasquill die Obrigkeitliche Eheverordnung„
fugilliren, die vorhin bey hiesiger Thum-Kirchen sich erregte/ durch ab-„
geurtheilte Bescheide aber längst assopirte dissidia wiederum zu resu-„
scitiren sich angemasset / einfolglich / so viel an ihm gewesen / zu neuen„
Streit und innerlicher Unruhe weiter Veranlassung gemacht/für allen„
dieser Stadt tranquillitæt, Einigkeit und gute Verständniß/so zwischen„
Lutherischen und Reformirten Bürgern wircklich ist / stöhren und tur-„
biren wollen: daß solchem nach/ inquisitus Hermann Wildemann, als„
ein offentlicher Pasquillant und Störer der innerlichen Ruhe / den so„
hoch verpönten Religions-Frieden violiret und gebrochen / wol billig„
nach Einhalt solchen Recessus und Caroli V. peinlichen Halß-Gerichts-„
Ordnung / zu wol verdienter Straffe und andern zum Exempel am„
Leibe zu bestraffen wäre / aber / wegen für demselben eingekommenen„
Vorbitten/ mit achtjährigem carcere zu begnädigen und zu belegen;„
wie er denn mit solchem achtjährigen carcere hiemit belegt und begnä-„
digt / auch die Inquisitions-Kosten zu bezahlen condemnirt wird. Von„
Recht und Amts wegen. Decretum in Senatu Bremensi den 15. Febr.„
1712.

Wilhelm Zobel /
Secretarius.

Quid de hac sententia censes pie lector? Scripsit Apostolus Petrus, *falsos Doctores exstituros, qui subintroducant HÆRESES PERDITIONIS, Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi ipsi celerem interitum* II. Pet. II. 1. Quos designet, prolixa investigatione non indiget. Quinam abnegant Dominum, Qui ILLOS MERCATUS EST? nonne id καθ' ἐξοχὴν faciunt Calviniani Doctores, Christum Redemtorem esse universorum hominum palam infitiantes? Hos ergo hæreticos & æternæ condemnationis reos pronuntiat Petrus. Quodsi hodie foret in vivis Apostolus, & ad Calvinianam illam Facultatem Juridicam res deferretur, non octo sed fortasse LXXX. annorum carcerem videretur promeritus. Is autem jam dudum morte sua glorificavit Christum, & triumphans in cælo vanas Cinglianarum Academiarum iras non metuit. Mirum vero, quod in Epistolam ejus sævitiam suam Reformati

mati non vertant. Willmannianæ pagellæ forsitan in aliquot millium manibus versantur. At Petri Epistolam totus Christianus orbis cum veneratione legit legetque usque ad noviſſimum diem. Si ergo Willmannianæ pagellæ inter prohibitas referendæ sunt, cur non II. Petri Epistolam prohibent, &, quo minus legatur, interdicunt? Cur non eam Codice Sacro eliminant, e typographeis omnibus proscribunt? At vero in Pacem Osnabrugensem Willmannus deliquit! Ediſſerat ergo Cingliana Facultas, quo articulo & quibus verbis interdictum sit, Calvinianos appellare hæreticos. Nobis enim tam perspicacibus esse non licet, ut vel umbram hujus interdicti in ulla Instrumenti Westphalici parte cernamus. Qui tabulas Instrumenti illius confecere, Viri erant politici de pace in Imperio Romano servanda solliciti, Theologicas quæstiones autem iis, ad quos pertinebant, i. e. Theologis decidendas relinquentes. Num vero Calviniani hæretici sint, id est, num in fundamento fidei & salutis errent, Theologica quæstio est, ex Sacris Literis determinanda. Liceat autem ex Academicis illis jurium Interpretibus quærere, num unquam legerint vel fando acceperint Artic. VII. verba, *salva conscientiæ cujusque libertate*. Atqui Lutherani, fatente Calviniano D. Strimesio per constitutiones Ecclesiasticas & Libros Symbolicos in CONSCIENTIA sunt obstricti, ut dogmata inter nos & Reformatos controversa pro fundamentalibus & proinde sententias Reformatorum pro damnabilibus habeant. Vid. ejus Tractatus von der Natur der Vereinigung Append. p. 35. Quicunque ergo Lutherano hanc libertatem Calvinianas doctrinas damnabiles, sive quod eodem recidit, hæreticas appellandi adimit, impetum facit in libertatem conscientiæ Instrumento Pacis publice & solenniter confirmatam, adeoque reus est fractæ pacis Westphalicæ. Ceterum inclytus Senatus Bremensis longe prudentius Juridica Facultate rem contemplatus est, Dominumque Willmannum die XX. Junii adeoque eadem hebdomade, qua Joannis Baptistæ injusta itidem custodia quondam detenti, imo ob veritatem tandem occisi, nativitas celebratur, & invariatæ Augustanæ Confessionis Carolo V. exhibitæ memoria recurrit, e carcere dimisit. Promittendum tamen (uti fama fert) interposita chirographi fide

fide Willmanno fuit, quod nec ipse nec per alios vindicare se vellet, ultro etiam & sua sponte suo in æde Cathedrali concionandi juri renuntiavit. Quod promissum dum accurate servat, recte & præclare se gerit. Nam Lutherani hominis est, injurias ferre non ulcisci, & precari pro iis, a quibus læditur. Ita etiam Strauchius ὁ μακαρίτης, Gedanensium Theologus celeberrimus, libertati suæ redditus nec voce nec calamo nec ipse nec per alios unquam vindicavit injurias, quas pro veritate pertulerat. Imo si ab universo orbe fides exularet, apud Lutheranum tamen hominem eam reperiri & summo studio servari oporteret. Quamvis autem Dom. Willmannus merito acquiescat, nihilque vel ipsemet vel per alios moliatur, ex æquitate tamen ipsa profluit

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Calvinianos Doctores, qui Henotica consilia agitant, omni industria in eo elaborare opus est, ut Juridica ista Facultas sententiam hanc adversus Sacras Literas & Instrumentum pacis Westphalicæ nulliter latam publice revocet, vel, si id facere detrectet, universali totius Ecclesiæ Reformatæ consensu aboleatur.

OBSTACULUM QVINTUM.

Quod Calviniani Lutheranos injuriæ in Reges & Principes admissæ insimulent, quando Calvinianorum dogmatum impietatem luculenter depingunt.

PROBATIO.

FAmiliare Calvinianis esse, summorum Magistratum odia in Lutheranos incendere, ubi argumentorum pondere se victos esse sentiunt, exempla permulta declarant. Quæ inter unicum tantum sufficiet in medium proferre. Venerandus D. Jos. Schwartzius ὁ μακαρίτης,

Juvenis admodum librum egregium contra Calvinianos consensu & approbatione Ordinis Theologici Wittebergensis munitum ediderat. Huic cum se solide confutando longe impares esse animadverterent, invidia & ira tumentes, velut ultima experturi, crimen læsæ Majestatis apud Fridericum Wilhelmum Magnum, glorioſissimæ memoriæ Principem, illi intentare non erubuerunt. Qua improba accusatione id etiam effecerunt, ut statim literis, cum Magistratu Dantiscano, cujus se tutelæ commiserat, de tradendo illo ageretur, imo currus servis stipatus mitteretur, qui captivum inde abduceret. Cum vero inclytus Senatus innocentiam illius causaretur, adeoque, si petitioni satisfaceret, injuste & proterve se facere affirmaret, Sereniſſimus Elector in responsione illa acquievit, & D. Schwartzio nihil deinceps adversi propterea, ringentibus licet & ægre ferentibus calumniatoribus, evenit. Conferri hac de re merentur Decades Epistolarum de Syncretismo cura Domini Henrici Brakeri, Patroni & Præceptoris æstumatiſſimi excusæ p. 169. 249. seqv.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, non modo Calvinianos ab ejusmodi absurdis calumniis abstinere, sed & publice profiteri par est, quod nostratibus gravem injuriam cavillationibus ejusmodi intulerint.

OBSTACULUM SEXTUM.

Quod more inquisitionis Hispanicæ ne quidem id nostratibus concedere velint, ut de calamitatibus sibi illatis conquerantur.

PROBATIO.

PErvulgata res est, ex truculenta inquisitione Hispanica dimissos silentio premere teneri, quicquid cum iis actum fuerit, & ab aliis inter-

terrogatos manum admovere ori, adeoque hoc solum respondere, quod nolint respondere. Eadem crudelitate Calviniani in Palatinos Lutheranos sævierunt, ut multam adeo iis propterea, quod humillime demissimeque rogassent, ut pristinis articulis uti liceret, imposuerint. Certissime etiam illa extorta fuisset, nisi Elector, illustrissimi Domini a Liliencron, Christiani V, glorioſissimi Danorum Regis, Legati intercessione & precibus permotus, eam nostratibus remisisset. Vide sis der Herrn Schlosser und Debus Sendschreiben p. 79.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, concedenda nostratibus plenissima libertas est, omnia illa mala, quibus a Calvinianis hactenus divexati fuere, in Comitiis Ratisbonensibus & ubicunque opus fuerit, aperte & sine ullo metu proponendi, ut iis remedium afferri queat.

OBSTACULUM SEPTIMUM.

Quod Iuventuti prohibeant in eas se Academias conferre, in quibus Evangelica nostra doctrina serio & candide proponitur.

PROBATIO.

Wittebergensem Academiam, Crypto-Calviniana sentina exhausta & ejecta, divinioris doctrinæ, admiranda Divi Lutheri opera e tenebris erutæ, tenacissimam fuisse, & per DEi gratiam adhuc hodie esse, vel ex eo constat, quod omnes veritatis divinæ hostes internecino illam odio prosecuti fuerint, & adhuc prosequantur. Quos inter Calviniani ordines ducere mihi videntur, quorum vetus & inexpiabilis adversus eam simultas tam acriter efferbuit, ut optimo Electori, Friderico Wilhelmo Magno auctores svasoresque exstiterint, ut peculiari eodemque acri & severo edicto caveret, ne amplius ullus hanc Academiam

miam ſtudiorum cauſâ adiret. Integrum illud reperias in Sam. Dieſtii Diſſert. de lite & pace religioſa Evangelicorum p. 227. ſeqv. ex qua præcipua hic apponere operæ pretium erit. Gleichwie wir aber auch dagegen nicht ohne geringe Bewegung befinden müſſen/ wie das unzeitige "Verdammen / Verläſtern / Verleumbden und falſche Auflagen und "Antichtungen auf der benachbarten Univerſität Wittenberg, nicht allein bißanhero nicht nachgelaſſen / ſondern die übermäſſige vergallete "Bitterkeit auch noch darzu dahin ausgebrochen / daß unſere alſo genannte Reformirte Chriſtliche Evangeliſche Religion und dero Bekenner durch præcipitirte unrechtmeſſige Urtheil zum höchſten beleidiget worden ꝛc. Uberdaß theils der Profeſſorum an unſere Unterthanen dergleichen Briefe abgehen laſſen / wodurch dieſelbe zum Ungehorſam und Widerſetzlichkeit wider Uns als ihre von GOtt fürgeſetzte und angebohrne Hohe Lands-Fürſtliche Obrigkeit aufgewiegelt und irre gemacht/ hiernechſt wider den Kirchen-Frieden groſſe/vergallete/ untheologiſche Bücher und Epicriſes geſchrieben / in offenen Druck gegeben/ und zugleich durch gedruckte Schreiben in unſern Chur- und Fürſtenthüme ohn unſer Wiſſen / Willen und Zulaſſen an unſere Miniſteria herumgeſchicket/ deroſelben ſynodaliſch Bedencken erfordert/ und Wir nechſt Unſern Glaubens-Genoſſen in ſolcher Schrifft wider die offenbahre Wahrheit / wider die Reichs Conſtitutiones, und den noch neulich zu Oßnabrück und Münſter aufgerichteten Frieden/von dem Nahmen der Evangeliſcher und der Augſpurgiſchen Confeſſion von dieſen unruhigen Leuten / wenn es in ihrem böſen Willen und Mächten ſtünde/ ausgeſchloſſen ſeyn und bleiben ſollen. Und Wir nun wol ſehen/ daß/ wann dieſem böſen Unweſen und polypragmoſyniſchen Beginnen dieſer auswärtigen Leuten in Unſern Landen nicht in Zeiten geſteuret und gewehret werde: Unſerer getreuen Unterthanen Kinder verführet und denenſelben dergleichen principia beygebracht werden ſollten / wodurch ſie zu Haß / Mißtrauen und Ungehorſam gegen ihre Obrigkeit/ Anrichtung Meuterey und Spaltung im Regiment und der Kirchen/ Verfolgung ihres Neben-Chriſten und andern unchriſtlichen Untugenden mehr zu ihren eigenen Unglück und Nachtheil auch Unſerm und des Lan-

Landes höchsten Beschwer und Schaden angereitzet. Und zugleich die,
Verachtung der Gesetze und des so hoch verpoenten Teutschen Friedens,
denen unschuldigen Hertzen eingedrückt bleibe ꝛc. Darum so ordnen,
und setzen Wir Krafft dieses aus Landes Fürstlicher Macht/Hoheit und,
Gewalt/auch aus höchster Nohtwendigkeit/und wollen/meinen es,
auch ernstlich/daß alle und jede unsere Unterthanen von Prælaten/Gra-,
fen/Herren/Adel und Städten hinführo keinen der Ihrigen mehr auf,
die vorgedachte Universität Wittenberg/um daselbst Theologiam,
und Philosophiam zu studiren, schicken oder halten/auch da einer und,
der ander unserer Unterthanen seine Kinder des Studii Theologici oder,
Philosophici halber allbereit dahin verschicket hätte/dieselbe innerhalb,
3. Monathen vom Tage der publication dieses Unseres Edicts und Ord-,
nung anzurechnen/wieder abfordern/und dieselbe alldar nicht lassen.,
Denn alle und jede/welche/diesem unsern Edict und Ordnung entgegen,
dennoch dahin geschickt oder die dahin geschickte in vorgesetzter drey Mo-,
nathlicher Frist nicht zurück und abgefordert sind/sollen in allen unsern,
Landen nicht gefordert/oder zu einigen Dienste in geist-und weltlichen,
Stande angenommen und bestellet werden ꝛc. Bone DEus! falsam do-,
ctrinam reiicere, convellere & damnare in vitio ponitur, & ignominio-
sis adeo intempestivæ condemnationis, criminationis & maledicentiæ
nominibus traducitur. Illud Wittebergensibus exprobratur, quod
Prophetarum 1. Reg. XVIII. 17. Es. LVI. 10. 11. Jer. XXIII. 15. Chri-
sti, Matth. VII. 15. XV. 14. Jo. X. 8. & Apostolorum Act. XX. 30.
II. Cor. XI. 13. Gal. I. 10. Phil. III. 18. 1. Tim. I. 20. 2. Pet. II. 1. Jo. II.
18. exemplo & mandato innixos facere oportet. Illud reprehenditur &
perstringitur, cui nisi morem gerant, perjurii rei fiunt. Quem enim
fugit, jurejurando se cum aliis γνησίως Lutheranis devinxisse, ne latum
quidem unquem a Libris Symbolicis recedere, in quibus ut omnium
hæreticorum errores, ita & Calvinianorum jure meritoque condemna-
ti leguntur? Quod denique Reformatos, Augustanæ Confessionis esse
socios negent, quod Mart. Lutheri, Herois incomparabilis vestigiis
acriter insistant & illius cathedram ab omni falsæ doctrinæ fermento
puram & illibatam conservare atque ad posteros transmittere elabo-

rent,

rent, & Juvenum etiam animos ad puriorem doctrinam amplectendam & defendendam inflamment; in illis carpitur. Testor insuper Calvinianorum conscientiam, an ullo modo Lutheranorum, quorum membra genuina & germana illi sunt, hypotheses; Magistratum esse ordinationem divinam, imo esse a DEo immediate, esse summum DEi vicarium in his terris, subditos nunquam absolvi posse jurejurando fidelitatis, illi non resisti, imo ne quidem Tyrannum impune interfici posse &c. seditionibus faveant, ex illisque dissensionis & turbarum materia exsculpi possit. Reformatæ autem Ecclesiæ dogmata admodum Regibus Principibusque pernicioſa esse, imo ad factiones fenestram patefacere pluribus demonstravit D. Hector Gothofredus Masius, Theologus Danus præstantissimus, in Libro, qui inscribitur; Interesse Principum circa religionem Evangelicam C. III. p. 21. seqv. Nuperrime quoque Jo. Josephus Wincklerus Calvinianorum satelles, in famosissimo libello Arcani Regii titulo superbiente impie & perverse deblatera-
"vit: Es sey höchst nöthig / daß keine andere Studiosi zu denen vacanten
"Pfarren kommen / als welche von denen Herrn *Theologis* in *Halle* ap-
"probation haben / denn die andern / sie mögen herkommen / wo sie wol-
"len / haben die Wittenberger Tücke (in quibusdam editionibus le-
"gitur Mucken) wenn sie den Schalck gleich noch so sehr verbergen können. Quam sententiam solidissime redarguit Venerandus D. Gottlieb Wernsdorfius, Vir ob pietatem non fucatam, eruditionem vastam, & Zelum contra hostes Ecclesiæ, omnibus bonis probisque, quicquid demum rauca Pietistarum cohors obganniat, commendatissimus in der kurtzen und nöthigen Entdeckung des so genannten Arcani Regii §. VIII.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, permittendum est omnibus Theologiæ studiosis, ut Wittebergam sacrorum studiorum causa proficiscantur.

OBSTA-

OBSTACULUM OCTAVUM.

Quod multis in locis ſimultaneum noſtratibus obtruſerint.

PROBATIO.

INſtrumento pacis Weſtphalicæ, quam turbare minime decet, id repugnare ex Anton. Fabri XIII. Theil der Staats-Cantzley apparet. Ubi Siegenſes Calviniani de Pontificiis merito conqueruntur, daß man dem Weſtphäliſchen Friedens-Schluß diametraliter zuwider in denen im Lande gelegenen Reformirten Kirchen das ſimultaneum, exercitium introducirt, und an denen Stülen und ſonſten Veränderung, gemacht p. 24. Multis vero in locis in Marchia Brandenburgenſi in gratiam Gallorum exulum ſimultaneum inſtitutum eſſe, quis eſt, quem fugiat?

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla cum Calvinianis de unione deliberatio inſtituatur, Gallis profugis & aliis Calvinianis edicendum eſt, ut ſimultaneo iſto cum cultu ex noſtris Eccleſiis ſe prorſus faceſſant.

OBSTACULUM NONUM.

Quod ſcholis noſtris Libellos Calvinianos (Calviniſche Nahmens-Bücher) obtrudant.

PROBATIO.

SPenerus, Pietaſtrorum primipilus & anteſignanus, interrogatus, num Calvinianorum Libri Nominales (Nahmens-Bücher) ex quibus tenera ætas prima literarum elementa addiſcere ſolet, noſtris quoque obtrudi illæſa conſcientia poſſent, ſequenti tepido reſponſo illorum gratiam aucupari ſtuduit. Beharret die Obrigkeit darauf / ſo ſehe ich, nicht / wie man ſich hefftig dagegen ſetzen könte: Indem 1) ſolche Nah-,,

"mens-Bücher nicht gleichermassen als die Catechismi als ein eigentlich "Stück unserer Bekäntnis anzusehen / und an sich selbst wenig daran ge- "legen ist / aus was vor einem Büchlein buchstabieren und lesen gelernet "wird. 2) So ist auch der Unterscheid der 10. Geboten / wie sie bey den "Reformirten und uns gebräuchlich nicht so bewand / daß wir jene For- "mul blosser dings verwerffen könnten / als die den Worten nach in der "Schrifft stehet / auch ist in der Straßburgischen Kirchen von Alters her "bereits solche Abtheilung und völlige Behaltung aller Worte herge- "bracht / auch noch deswegen in Gebrauch / welche Kirche wir nichts de- "sto weniger vor rein-gläubig und mit uns in Einigkeit des Glaubens "stehende erkennen ꝛc. V. Pars IV. Consiliorum Theologicorum p. 50. Verum enim vero turpiter se hoc perverso responso dedit Spenerus, & nescire se simulavit, Calvinianorum venenum facillime hac ratione puerorum animis, nihil tale metuentium instillari. Ætate enim paulo robustiores, in eam si incidant cogitationem, se ex Calviniano libro primum edoctos esse; periculum est, ne suspicentur, inter nostram & Calvinianam religionem vel parum vel nihil prorsus esse discriminis. Animo sic ab illorum superstitione non adeo alieno, quid mirum si videamus, vel lautis opimisque provinciis, vel opulento & rationibus suis accommodato matrimonio vel aliis ejusmodi lenociniis pellectos captosque, nostra fide valere jussa, Reformato cætui se adjungere. Nec Doctorem Theologum latere debebat, eum ordinem, quem Calviniana Ecclesia servat, X. præcepta DEi enumerandi & distinguendi, divinæ & in hoc momento prorsus singulari accentuum seriei repugnare. Ut in præsenti illud incommodum fuse non urgeam, quod pueri, alteri ordini innutriti, multo difficilius Catechesin Lutheri ediscant.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, libelli ejusmodi ex scholis Evangelicis penitus proscribendi sunt, nec ulla alia molestia Lutheranorum scholis inferenda.

OB-

OBSTACULUM DECIMUM.

Quod Academiis Lutheranis Calvinianos Professores admisceant.

PROBATIO.

STrimesium juniorem Regiomonti injuste Professoris munere fungi, apparet ex privilegiis Prussiæ ab hodierno potentissimo Rege confirmatis. Solchem nach erklären Wir uns hiemit vor Uns und unsern Erben und nachkommende Herrschafft dahin / daß Wir solchem zufolge und Krafft dieser Unser Churfürstlichen Assecuration künfftig in diesem Unsern Hertzogthum Preussen mehr nicht denn 3. Kirchen vor den Reformirten und deroselben Gottesdienst ohne einigen Abgang der Lutherischen Kirchen / dero Einkünfften und pertinentien erbauen lassen / dahingegen kein exercitium in denen Privat-Häusern ausgenommen die Tauffe / Trauungen und Reichung des Abendmahls / wenn einer und der ander durch rechtmässige Ursachen in die offentliche Gemeine und Kirche zu gehen und zu kommen verhindert worden / verstatten wollen. Imgleichen wollen Wir die vier Ober Raht-Stellen / die vier Haupt-Aemter / den Land-Raht / die Consistoria die *Academie* mit niemand anders denn mit *Luther*schen *subjectis* besetzen. Den Ober-Appellation-Hof und Peinlich-Halß-Gerichte aber / und zwar in einem jeden dieser Gerichten zweene tüchtige Reformirte subjecta zu Assessores von Preussischen indigenis befordern und von denen Aemtern und Hauptmannschafften vor die Reformirte vier behalten / die übrigen dergleichen benificia und dignitäten aber niemand anders / denn der Lutherschen Religion zugethanen Einzöglingen und indigenis vom Herren-Stand-Ritterschafft und Adel gnädigst conferiren. Und dieses nun / was hie stehet / versprechen und versichern / wollen Wir Unsern Erben und Nachkommenden Herrschafft jedesmahl steiff und unverbrüchlich halten und dasselbe weder vor Uns extendiren noch extendiren lassen. Welches alles und jedes / wie ob stehet / von Unsern getreuen Ständen mit unterthänigsten Danck und guten Willen acceptirt wor-

"den und zugleich die Krafft eines Vergleiches haben und behalten soll "sonder arge List und Gefehrde. Zu Uhrkund haben wir diese special As- "securation eigenhändiglich unterschreiben und Unsern Zusiegel darun- "ter zu drucken befohlen. Fama etiam nuper percrebuit, Halæ (ut Sper- lettumtaceam, quem diu officium Professoris obiisse constat) Heidenium Calvinianum Professorem Theologiæ esse constitutum, imo ex Academica tabula lectiones suas jam intimasse. Minime vero Calvinianis integrum esse, ut Professorem ibi Gymnasio vel Academiæ præficiant, patebit ex verbis Instrumenti pacis obstac. XII. afferendis.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, & Strimesium juniorem & si qui alii ex Reformatis in Academiis, Gymnasiis & Scholis Lutheranis officiis funguntur, iis se prorsus abdicare æqvum est.

OBSTACULUM UNDECIMUM.

Quod Magdeburgensi urbi per machinationes Calvinianorum Doctorum frui non liceat pleno omnium suorum Privilegiorum & Jurium exercitio Instrumento Pacis Westphalicæ Art. XI. §. 8. & 11. confirmato.

PROBATIO.

ETenim in illa sancitum est, ut præter privilegia ab Ottone I. & Ferdinando II. concessa etiam illius urbis jura in Ecclesiasticis & Politicis salva & inviolata maneant. Quomodo vero cum his conciliare poterunt Calviniani, quod peculiarem suæ religionis magistratum in civitate illa pro Manheimensibus constituerint, non perspicio.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, & Magistratus ille pro Manheimensibus

bus plene abdicand⁹ & omnia alia Magdeburgi instinctu Calvinianorum innovata in pristinum statum restituenda sunt.

OBSTACULUM DUODECIMUM.

Quod in iis regionibus, quæ per & post Transactionem Westphalicam in potestatem Reformatorum Principum pervenerunt, alibi quam in Residentia Concionatores Calviniani reperiantur.

PROBATIO.

IN Pace Westphalica Art. VII. p. 68. cautum est, *ne Princeps, si ad alterius partis sacra transierit & Principatum aut ditionem, ubi alterius partis sacra exercitio publico in præsenti vigent, quocunque modo nactus fuerit, alibi ac in RESIDENTIA sua citra subditorum suorum onus aut præjudicium concionatores aulicos suæ confessionis habeat.*

CONSETARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, ex omnibus iis Regionibus universos Calvinianos Præcones abire decet, exceptis solis Concionatoribus aulicis; quos præterea non nisi in Residentia, & quidem quamdiu Princeps ibi commoratur, concionari fas est: quando vero & quoties Princeps aliorsum se confert, claudi sacella nec conciones a Calvinianis amplius haberi decet, donec Princeps revertatur.

OBSTACULUM TERTIUM DECIMUM.

Quod ipsa nostratium templa passim ad se rapuerint.

PROBATIO.

INfinitum esset, singula enumerare templa, quæ Calviniani partim vi partim fraude ac dolis, nostris in Palatinatu, Marchia Brandenburgen-

genſi,& alibi extorſerunt. Inter alia notiſſimum eſt, Halæ templum Cathedrale, cui B. Dominus D. Schraderus præerat, noſtratibus ademtum,in eodemque concionem inauguratoriam Academiæ Hallenſis ab Urſino publice habitam fuiſſe. Ne dicamus, Strimeſium quoque Francofurti ad Viadrum in jubilæo Lutherani templi ſuggeſtum Calviniana ſua ſermocinatione contaminaſſe.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, omnia illa templa nobis reſtituenda ſunt, quin & providendum, ne in poſterum triſtes Calvinianorum pedes ſuggeſtus Evangelicorum conculcent.

OBSTACULUM QVARTUM DECIMUM.

Quod noſtratibus reditus officiorum ſacrorum eripuerint.

PROBATIO.

LIcet illud Articulus VII. Pacis Weſtphalicæ interdicat, Barbienſi tamen urbi, ut reliquas prætéream ſilentio, mille thaleri Superintendentis muneri dicati, ademti ſunt, quibus Dogmatiſtæ Calviniani aluntur & locupletantur.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, reditus hi cum omni Intereſſe reſtituendi ſunt.

OBSTACULUM QVINTUM DECIMUM.

Quod Magiſtratuum Lutheranorum jura paſſim imminuerint.

PRO-

PROBATIO.

SUpra memoratæ urbis Magiſtratus jura & privilegia non tantum variis modis & technis imminuerunt & labefactarunt, ſed etiam Lutherano Senatui Calviniani obtruſi & infarti ſunt.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, jura hæc pleniſſime Magiſtratibus Lutheranis reſtitui fas eſt.

OBSTACULUM SEXTUM DECIMUM.

Quod in Pomerania Brandenburgenſi contra conſtitutionem regionis illius politicis officiis paſſim fungantur.

PROBATIO.

LEgem ibi ſancitam eſſe, qua nemo Dignitatum Politicarum conſors fieri poteſt, qui non ſacris noſtris ſit initiatus Decades Epiſtolarum ſupra laudatæ teſtatum faciunt p. 142. 143.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, Reformatos in Pomerania Brandenburgenſi, & ubicunque alias contra conſtitutiones Territoriales ſe politicis officiis ingeſſerunt, penitus ſe iis abdicare fas eſt.

OBSTACULUM SEPT. DECIMUM.

Quod Fanaticis, Indifferentiſtis, Epicureis & Semiatheis patrocinentur.

PROBATIO.

NOn mihi ſi linguæ centum ſint oraque centum, Ferrea vox, omnes iſtiusmodi homines oratione poſſim perſequi, qui illic & recepti benigniter & officiis cohoneſtati ſunt. Itaque ex tanta copia perpaucos ſeligere cogor. Spenerus, poſtquam politicis ſe rebus Dresdæ

impudenter ingesserat, veritus, ne pœnas hujus criminis aliquando lueret, ivit Berolinum, qua poterat. Hîc vulpina pelle indutus ornabatur Præpositi provincia, in qua nihil prius aut antiquius illi fuisse videtur, quam ut multum hostium veritatis auribus daret, Ecclesiam nova sua progenie inundaret, & Senatus Ecclesiasticos, templa, cathedras, Scholas oppleret. Adjungo huic sodalem, Christ. Matthiam Seidelium, Pastorem antehac Wolckenburgensem, nunc vero Tangermundanum, qui Auctori des Unfugs der Pietisten p. 18. der gröbsten einer audit & p. 35. de illo refert, esse strenuum gerrarum Chiliasticarum Patronum & defensorem. Longe vero peior est Jo. Josephus Wincklerus e Lutheranis quidem in collegium, in quo de unione concilianda agitur, cooptatus, sed Lutherano nomine prorsus indignus; quippe qui in pestilentissima illa philyra unionem non apertis sed clandestinis consiliis promoveri cupit, qui Principem quemlibet in sua religione Papam esse affirmat, qui omnes Academias præter Halensem, ut supra jam retulimus, reiicit, qui Confessionem privatam, Exorcismum, vestes ministrorum Ecclesiæ, candelas, hostias, reliquiarum & abominationum Pontificiarum instar perstringit & abroganda esse clamitat. Christianus Thomasius, degener optimi Patris filius, cum omnem probitatem & fidem Lipsiæ prope decoxisset, Libri cujusdam refutatione, Calvinianorum quorundam gratiam ita aucupatus est, ut Professoris munus in nova Hallensi Academia in eum conferrent. Initio Pietistis favit, & eos, qui Spenerum errorum arguerent, famosis libellis petulantissime allatravit, mox vero virus Indifferentisticum & Epicureum palam & privatim disseminare & instillare religioni sibi non duxit. Camarinam omnium errorum nunc non lubet movere, interim vel solum collegium indecorum *de decoro* olim habitum satis superque prodit, qui Vir sit. Agmentandem claudat Gothofredus Arnoldus, Perlebergensis hodie Inspector, qui projecta audacia Advocatum ordinarium omnium hæreticorum & ipsius Diaboli agit, qui Ebioni, Cerintho, Ario, Nestorio quantis monstris! salutem æternam adjudicare, quam innocentissimis & de puriore doctrina optime meritis, mavult, qui impudenter optima quæque cani-

no-

no rodit dente, peſſima vero in cælum evehit, qui denique, noſtram ut fidem in ludibrium, contemtum & odium omnium vocet, omnem movet lapidem,

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, efficiendum eſt, ut Lutheranis Vere talibus & omni ſuſpicione Syncretismi immunibus Theologis & Politicis (nam Calvinianos Theologos & Politicos de orthodoxia Lutherana judicium ferre non decet) poteſtasdetur, in Academiam Hallenſem & ubicunque opus fuerit, inquirendi, omnesque Pietismi, Indifferentismi, Epicureismi & Atheismi ſuſpectos Profeſſores, Superintendentes, Præcones, & Ludimagiſtros removendi, aliis vere orthodoxis ſecundum cujusque loci conſtitutiones Eccleſiaſticas & mores in eorum locum ſuffectis.

OBSTACULUM OCTAVUM DECIMUM.

Quod patrocinentur iis, quos Syncretismo cum Papæis ſtudere norunt.

PROBATIO.

FRidericus Spanhemius Elencho Controverſ. p. 390. Regiomontanos Syncretiſtas de meliore luto formatos eſſe perperam exiſtimat. Tota Brusſia non ſine horrore vidit, quid machinati henoticis conſiliis & mutua tolerantia fuerint. Nonne tot viri, alioqui non ineruditi Romanæ ſuperſtitioni nomen dederunt? Nonne noſtra ſacra ludificationi Papicolarum expoſuerunt? Nonne Jeſuitæ, publice in templo Sackheimenſi Regiomonti gratias egerunt pro Dreieri illuminatione, profeſſi, der Zöllner ſtehe vor der Thür / er wolle in die Catholiſche Kirche. Strim eſius præfatione Inquiſ. in Controverſias Evangelicorum

corum §. III. Jo. Fabricium vocat scientia pariter atque prudentia Theologicis insignem Doctorem, atque ejus considerationem controversiarum perspicaciſſimam esse, defensionem vero considerationis istius modestiſſimam judicat. Jam autem constat, hunc Syncretistam Pontificiis non minus ac Calvinianis fraudulenter admodum pacem & unionem obtulisse, atque adeo Principem illustriſſimam, en prudentiam Theologicam! ad deferendum nostrum cœtum terrenarum rerum ergo adhortatum esse. Nec minus idem Strimesius §. 12. Georgium Calixtum, venerandum appellitat, qui sæpe e calice meretricis Babylonicæ bibit, & eam tamen gratiam a Moguntinis iniit, ut Part. II. Irenici Calixtini C. I. illum nominarent Semi-Christianum, Doctorem optimum, & Ecclesiæ Utopicæ Oœtumenicæ in fide quodlibetica congregatæ, Pontificem Maximum. In eo sane graviter peccavit, quod Ranzovio, mensæ & familiaritatis consorti, & studiis Ebrææ Linguæ immerso auctor exstiterit, ut potius tempus in aliis utilioribus disciplinis & cognitione Ecclesiasticæ antiquitatis priscorumque Patrum & conciliorum collocaret, non videri operæ pretium in vocabulis addiscendis desudare, cum satis præclaræ exstent Vet. & N. Instrumenti latinæ versiones, ratus. Animo ergo a præclara & necesſaria fontium Sacrorum cognitione abducto, quid mirum, si illis præsidiis & armis, quæ illi larga suppeditant manu, non munitus, manus eheu! Pontificiis dederit? Vid. ipsius Calixti Responsum ad Ernestum, Hassiæ Landgravium p. 48. & 49. Imo Conradus Bergius singulari scripto ex consensu Theologici Ordinis edito, non solum cum nostratibus sed & Pontificiis Ecclesiasticam societatem conciliare annisus est. Audiant vero vel proprium suum commilitonem, Heideggerum, qui in Historia vitæ & obitus Jo. Lud. Fabricii p. 79. *hebes & obtusum* illis *ingenium* esse judicat, qui Hierarchiam Romanam cum Ecclesia unquam conciliari posse confidant. Neque enim Papam unquam inductum iri, ut Monarchiam specie Ecclesiasticam, reapse vero civilem & terrestrem religioni æque ac corporibus omnium dominantem & insidiantem ac cum eadem dogmata controversa eidem famulantia abdicet.

CON-

CONSETARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, & huic malo remedium adhibendum est eodem modo, qui consectario proxime præcedente fuit commemoratus.

OBSTACULUM NOVUM DECIMUM.

Quod per profanationem S. Cœnæ Henoticum negotium promovere conentur.

PROBATIO.

QVam exsecrabile facinus Ludolffus Meier-Otto, Ecclesiastes Orphanotrophii Regiomontani Confusione & Samaritanismo Sacramenti S.S. cœnæ patraverit, vel ex novellis constat.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, scandalosa illa profanatio S. Cœnæ Regiomonti abroganda est.

OBSTACULUM VICESIMUM.

Quod nostras cærimonias tantopere exagitent.

PROBATIO.

QVo magis assertioni meæ sua constet veritas, nonnullos ex Reformatis Doctoribus afferã, qui in innoxios Ecclesiæ nostræ ritus contumeliosissime debacchati sunt. Elias Grebenitzius in Unterricht C. II. §. 2. p. 83. impie effutit, unter dem exorcismo in der Tauffe und der Zauberey könne man keinen Unterscheid im Wesen zeigen §. 12. p. 97. es sey falsch / daß der exorcismus ein Adiaphoron oder cærimonie sey / die der Christlichen Freyheit zugelassen: Dann es sey der Exorcismus eine Zauberey und eine unchristliche und Gotteslästerliche Lehre.

Christianus Becmannus clamitat P. IV. Anatom. p. 78. & p. 83, der Exorcismus sey eine **Gotteslästerliche Teufels Beschwerung / und wären die Kinder von gläubigen Eltern gebohren mit nichten unter der Gewalt des Teufels / und könne der exorcismus hier nicht zeugen / daß die Kinder aus der Gewalt des Teufels errettet wurden.** Strimesius, licet semper unionem crepet & ingeminet, atque omnibus longe moderatior haberi velit, tamen p. 547. Ingenuæ in controversias Evangelicorum Inquisitionis, Lutheranos, Exorcismum adhibentes *pudendæ pertinaciæ incusare* non erubescit. Idem in concionibus de Sacra Cœna p. 157. vociferatur; **es sey / so viel man wissen könnte / allerdings nichtig der Gebrauch** des heiligen Abendmahls bey allen denen / die die so genannten hostien und oblaten austheilten und empfingen: Et p. 174. conviciatur, **daß sie das heilige Nachtmahl gar grausamlich verstümmelten** und selbes des ersten wesendlichen Stückes beraubeten. Pag. 164. ejusdem libri nugatur, **daß das Brod / welches in dem heiligen Abendmahl mit dem Leibe** J. Christi **Gemeinschafft hat und haben soll / selbes gebrochen werden müsse / so gar / daß auch welches Brod nicht gebrochen werde / selbiges wiederum mit dem Leibe** Jesu Christi, **so viel wir wüsten / keine Gemeinschafft haben könne.** Verum quid est, si non hic pruritus calumniandi & maledicendi est? Lenitatem enim miram, mansvetudinem & tolerantiam præ se ferre gestiunt, unionem nobiscum flagrant, inhiant moliuntur, fundamentum fidei nos non subruere agnoscunt, identidem vero inhumanitatem & rusticitatem nostratibus; quamvis falsissime objiciunt, & tamen cærimonias tam utiles tam decoras & ex Ecclesia nascente ortum trahentes carpere, calumniari & devovere non dubitant. Latere anguem in herba, & sub ista insectatione illos articulo de Libertate Christiana laqueos tendere, Augustanæ Confessioni & Formulæ Concordiæ insidias struere, majores discordias excitare, Tiresia cœcior est, qui non videt. Præterea cuniculis Evangelicam nostram doctrinam subvertere hac ratione aggrediuntur. Nam quia necessitatem & efficaciam Baptismi eunt infitias, in Exorcismum tam acerbe invehuntur, & Diaboli patrocinium suscipere non verentur. Baptismum a Laico, absente ministro Ecclesiæ &

ur-

urgente neceſſitate, adminiſtrari non permittunt, quoniam illum pro mero ſigno & repræſentatione habent, quo utrum infans cohoneſtetur, nec ne, parum referre exiſtimant. In ſtatum exaltationis Chriſti multis modis illos impingere conſtat. Hinc ægre ferunt, nos ad pronuntiationem nominis Jeſu Chriſti caput aperire vel genua flectere Phil. II. 9. 10. cum tamen morati homines ad Principum nomen caput detegere ſoleant. Fractionem panis tanto inculcant opere, ut ſimplicioribus perſvadeant, Sacramentum Cœnæ figurativum eſſe, & paſſionem Chriſti tanquam in theatrali quadam actione adumbrari. Tandem fœdis & horrendis Particulariſticis hypotheſibus adacti S. Cœnam unico ægroto impertiri nolunt.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, a moroſa illa cærimoniarum noſtrarum inſectatione Calvinianos prorſus abſtinere decet.

OBSTACULUM PRIMUM VICESIMUM.

Quod cantica Lutherana depravent & pervertant.

PROBATIO.

INſpicienti mihi obiter Libellum cantionum Calvinianarum quibus Lutheranæ hinc inde admixtæ ſunt, A. MDCCIV. Halæ Magdeburg. forma minima typis expreſſum, in oculos ſtatim incurrebat virgula cenſoria, quam in hymnum noſtrum notiſſimum JEſus Chriſtus unſer Heiland ꝛc. proterve ſtrinxerunt. Verba enim, verborgen im Brod ſo klein und zu trincken ſein Blut im Wein ita commutarunt, ut in locum illorum ſubſtituerent, und zu trincken auch ſein Blut / das uns vergoſſen iſt zu gut. En Calvinianam in alieno labore curioſitatem & petulantiam cum ſumma fraude conjunctam! Quid, quæſo, mali & S. Scripturæ adverſi verba illa apportant, ut reſecentur & proſcribantur?

Non-

Nonne indicant, in mysterio illo modo nobis abscondito & impervestigabili cum parva panis particula ipsum Corpus Christi exhiberi & sumi? Minime gentium vero monstrum Synusiæ sive localis corporis inclusionis, quam falso & impie Ecclesiæ nostræ affricant, alunt.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Calvinianos perversissimam istam mala fide agendi consvetudinem exuere oportet.

OBSTACULUM SECUNDUM VICESIMUM.

Quod per insidiosas machinationes Formulam Concordiæ e numero Librorum Symbolicorum ejicere satagant.

PROBATIO.

FOrmulam Concordiæ validissimum esse omnium hæreticorum & Syncretistarum obicem nostrates extra omnem dubitationis aleam dudum posuerunt. Hinc non est, quin miremur, acerbissimis illam calumniis onerari, tota horrendorum conviciorum plaustra in eam coniici, innumerabilium errorum, omnis litis & discordiæ matrem proclamari. Inprimis Calviniani Vatiniano in eam odio æstuant, & mox viam sternere Arianis crepant (Auctor des kurtzen Auszugs und eigentlichen Entwerffung F.C.) mox condemnationes Achristianas pariter atq; Antichristianas continere contendunt (Strimesius in inquisitione p. 619.) mox nomen Maozim e Dan. XI. 38, quod communi ore de Missa Pontificia dictum volunt Interpretes, illi imponunt, (Diestius in Dissert. de lite &c. p. 142.) mox pro Synonymis habent, Flacianum esse & Formulam Concordiæ approbare (Auctor der Abhandlung p. 88.) Neque vero intra hæc probra subsistunt, sed longe ulterius progrediuntur, & hoc repagulum saluberrimum ab Ecclesia Marchica omni nisu protrudere & removere conantur. Etenim generali Ecclesiasticæ visitationi hanc quæstionem, quæ numero VIII. est, & ad omnes Præcones verbi spectat,

ctat, inſeruere, num exploratum habeant, Formulam Concordiæ in Marchia Libris Symbolicis non accenſeri? Licet ergo nonnulli fortaſſe dentur, qui ex ignorantia, metu, adulatione vel aliarum terrenarum rerum gratia eandem cum iis tibiam inflent; tamen turpi paucorum horum adulatione illam non delebunt. Neque enim ſervi DEi & Eccleſiarum Miniſtri ullo modo vel DEo, vel Eccleſiis quicquam abjudicare poſſunt. Qui vero Ioannis exemplo non arundinis a quovis vento hinc inde agitatæ, ſed luminis inſtar candentis eſt, clara voce confitebitur & pronuntiabit: *Imo vero eſt certe, & manebit Formula Concordiæ liber Symbolicus.* Nam illam omnes reverſales literæ a prima Jo. Sigismundi confirmant & ſtabiliunt, quod Jo. Frommius, juratus idoli hujus (ita enim per ſummam injuriam fœdiſſimus apoſtata & idololatra vocare ſolet) hoſtis teſtatur in Epiſtola quadam ad famoſum Stoſchium data. Aber/ inquit, weil in allen vorigen Landes Reverſen nach der Zeit F. C. auf dieſes Buch geſehen/ auch der letzte Revers ſich auf 1611. und 1615. beziehet/ obgleich F. C. nicht ausdrücklich darinn genennet/ und alſo alle Reverſe, ſo viel ich geſehen/ ſich unter andern auf den Revers von A. 1602. beziehen/ darinn F. C. ausdrücklich gemeldet/ wird es ſchwer ſeyn die F. C. abſchaffen/ und es mit dem Inſtrumento Pacis Osnabrugenſis Art. VII. p. 40. (ubi Reverſalia jubentur eſſe ſalva) zu conciliiren. Præterea liber hic vere aureus in publica Synodo, conſenſu ſummi Magiſtratus, invocatione Nominis Divini, gratiarumque actione publica pro ſe & POSTERIS quam ſolenniſſime & liberrime teſſeræ loco receptus & uſu ipſo probatus & firmatus eſt. Id quod Rango, ὁ μαχαιρίτης, Vir in rebus ad Eccleſiam attinentibus verſatiſſimus, ex quodam manu exarato Codice probavit L. qui inſcribitur; Formula Concordiæ Hæreticorum obex p. 177. ſeqv. Ex quo, quin πεμπάσεις hic apprime pertinentes excerpam, non me contineo. Es hatten aber ſeine Churfürſtliche Durchleuchtigkeit (Johann Georg) dem General Superintendenti, D. Cornero, D. Cœleſtino, dem Hof-Prediger/ D. Colero und andere Herrn Commiſſariis ernſte Commiſſion gegeben/ daß ſie niemanden zu unterſchreiben perſvadiren, ſondern vielmehr diejenigen/ ſo einige Scrupel hätten/ hart abmahnen/ und nicht eher

zur Unterschrifft lassen solten/biß daß sie in der göttlichen Wahrheit vorhero gäntzlich unterrichtet / und ihre Gewissen vollkömmlich befriediget wären. Es sind aber Ihrer wenig gewesen / die nicht mit der Remonstration, Information und dem Buche selbsten wären zu frieden gewesen. Zu Berlin waren den 22. Julii A. 1577. über 700. Prediger (worunter auch die Schuldiener mögen gerechnet seyn) im grauen Kloster versammlet / da denn nach gehaltener Predigt/ derer Text war aus dem XXVII. Psal. v. 4. und fleißigen andächtigen Gebet/ womit man etliche Tage continuirte, die Formula Concordiæ dem gantzen Concilio in diesem Synodo wortlich vorgelesen / und auf die überantwortete Scrupel deutlicher Bericht geschahe. Und haben gewiß bey allen Artikeln die versammlete Geistlichen einmühtig consentirt / daß auch Herr D. Cœlestinus bey allen und jeden Artikeln mit gar Christlichen und absonderlichen votis & gratiarum actionibus, in dieser Gemeine Gott hertzlich und freudig gedancket e.g. vor diese reiche Wolthat sey GOtt gelobt in Ewigkeit! **Der erhalte uns und unsere Kinderlein bey dieser reinen Lehre** / und hat die gantze Versammlung Amen gesprochen. Wie denn der damahlige beruffene Organist H. Hans Horneburg ein schön Danck-Lied auf Musicalische Weise gesetzt und mit gewöhnlichen Stimmen GOtt zu Lobe und Danck singen lassen. Der Anfang dieser conferentien ist allemahl mit dem Veni Sancte Spiritus, gemacht worden. Es haben auch die Theologi vor den erlangten guten Unterricht denen Herren Commissariis hertzlich gedancket / und sich erbothen ihre Schäflein vor die in Formula Concordiæ benannte Secten / Rotten und Irthümer fleissig zu warnen / und allezeit dawider zu lehren. Darauf Herr D. Cœlestinus abermahl eine Danck-Predigt gethan / den 133. Psal. ausgeleget / und nach der Predigt ist das officium S. Cœnæ gehalten worden. Bey der allerletzten Conferentz geschahe wieder eine Predigt aus dem 110. Psal. in der Schloß-Kirche / und wurde GOtt vor die Einigkeit der Lehre offentlich gedancket/ und das Te Deum Laudamus gesungen / und mit allen Glocken geleutet/ zumahln als der Zeit/ wegen der grossen Hitze ein starck Gewitter mit untergelauffen / und GOtt der Herr in den Wolcken sich selbst dabey hören lassen. Es haben auch die Theologi gar

ein-

einmühtig erinnert / man möchte doch bey Drückung dieses Buchs behutsam seyn / damit ja nicht / wie beym corpore Philippi geschehen / eine Verfälschung mit unterlauffen möchte.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, efficiendum est, ut nemo ad ullum officium sacrum & scholasticum in Ecclesiis & Scholis Lutheranorum in Marchia Brandenburgensi &c. admittatur, nisi in Vocatione expresse injunctum sit, ut secundum Formulam Concordiæ doceat.

OBSTACULUM TERTIUM VICESIMUM.

Quod Lutheranos Theologiæ Doctores creare præsumant.

PROBATIO.

SUpervacaneum esse existimo, hanc pernicioſissimam pariter & injustissimam consvetudinem fusius perstringere & refutare, cum M. David Schultetus, Vir Historiæ Ecclesiasticæ & Literariæ multo peritissimus & præmatura morte eheu! sublatus, hunc laborem Ao. MDCC VIII. peculiari schediasmate, de Doctoratu Theologico apud Reformatos non assumendo, præclare exantlaverit. Quod, si placet, adeas velim.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Francofurtensibus Calvinianis interdicendum est, ne in posterum sibi potestatem Lutheranos Doctores creandi vindicent,

OBSTACULUM QUARTUM VICESIMUM.

Quod ordinationes Ecclesiasticas perforare annitantur.

PROBATIO.

IN Edictis nonnullis, quæ de mutua tolerantia variis fraudibus & technis impetrarunt Calviniani, Præconibus verbi Divini præter alia injunctum est, ut Exorcismum, Constitutionibus Ecclasiasticis in Marchia præscriptum, ad placitum omittant. Sic quantas turbas Berolini A. MDCXCVII. & XCVIII. Mag. Schadius simulatis conscientiæ suæ torminibus & libro virulentissimo contra absolutionem privatam edito dederit, & quomodo singulari deciso unicuique integrum relictum sit, sine ea S. Cœnæ accedere, nemini obscurum esse potest. O si Divi Lutheri verissimum effatum audivissent & secuti essent! Wenn tausend und aber tausend Welt mein wären / so wolte ich alles lieber verlieren / denn ich wolt dieser Beicht das geringste Stücklein eines aus der Kirchen kommen lassen. Ich kan und will der Beicht nicht entbehren / denn sie mir offt und täglich grossen Trost gibt / aber die Schwermer weil sie sicher sind / und von Traurigkeit und Anfechtungen nichts wissen / verachten sie leichtlich die Artzney und Trost. Silentio involvo nec urgere lubet, multos festos dies, & inter hos, S. Joannis Calvinianorum consiliis esse abrogatos. Qua ratione vero ejusmodi ausa cum Instrumenti Pacis Articulo VII, qui illos, ullum impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte nostris sacris afferre prohibet, conspirent, ipsi viderint.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, res eo deducenda est, ut omnes Ministri Ecclesiarum Lutheranarum sine ullo impedimento perficere queant universa, quæ Constitutionibus Ecclesiarum nostrarum conveniunt.

OB-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0038
DFG

OBSTACULUM QVINTUM VICESIMUM.

Quod contra dictamen propriæ conscientiæ doceant, nos in Lutherana doctrina non magis quam Pontificios in Papæa servari posse, hæreticos etiam & Pelagianismi, Eutychianismi reos proclament.

PROBATIO.

VEl sexcenta afferre liceret ex Reformatorum scriptis loca, in quibus fatentur, se pro FRATRIBUS nos agnoscere, levem esse invicem dissensum, & fundamentum fidei nos non subvertere. Quorum tantum pauciſſima afferre juvat. Fridericus Spanhemius sæpissime Elencho Controvers. p. 347, 351, 357, 558, nostrates Fratres appellitat, & quæstionem p. 289. ventilatam; an Reformati ex canone charitatis secus sentientes in superioribus capitibus Lutheranos tolerare parati sint tanquam fratres & consortes ejusdem fidei ac salutis, ac membra veræ Ecclesiæ sancta contesseratione animorum studiorumque? affirmat. Samuel Werenfelsius Dissert. de Logomachiis eruditorum p. 74. gloriatur, non esse aliquem in fundamento fidei dissensum, sed in paucis quibusdam si non levibus, certe fundamentum fidei non subvertentibus. Pictetus Dissert. Irenica de consensu & dissensu inter Reformatos & A. C. fratres C. VII. leviſſimum esse dissensum autumat, imo in Amica responsione profitetur, se libentissime apud nostrates Sacram communionem accipere velle. Samuel Strimesius in kurtzen Entwurff der Einigkeit p. 43. existimat, daß die Evangelisch-Lutherische und Reformirte in keinem eintzigen Punct Christlicher Lehre fundamentaliter unterschieden seyn. Nihilominus tamen in petulantiam, procacitatem, & tantum non rabiem effusi modo beatitatem nobis eripere tentant, modo religionem variis maledictis insectantur, modo variarum hæresium notam inurunt, modo doctrinas, de quib⁹ ne persomnium quidem cogitavimus, affingunt. Ita Auctor der Abhandlung etli-

licher Fragen / quem non infimæ inter Reformatos Doctores dignitatis esse fama celebratum est, garrit ; Daß / wie die Lutherische Lehrer von der Seligkeit in der Römisch-Catholischen Religion sagen / auf eben solche Weise der Reformirten Lehrer Meynung von der Seligkeit in der Lutherischen Religion möchte zu verstehen seyn / daß man nemlich in der Lutherischen Religion könne selig werden / aber nicht durch dieselbe d. i. nicht darum / weil sie die Allenthalbenheit des Leibes Christi oder die Leibliche Gegenwart desselben im heiligen Abendmahl in / mit und unter dem Brod und dergleichen glauben / sondern insoweit sie einen allgemeinen Glauben mit den Reformirten haben / d. i. Die H. Schrifft / die allgemeine Symbola, die Augspurgische Confession zugleich bekennen. Melchior Leydeckerus de veritate Religionis Reformatæ L. II. C. VIII. p. 249. Lutheranos ob doctrinam de universali gratia (quam summa injuria Pelagianismi incusat) Dominicanis, Augustinianis & Jansenistis in Papatu pejores esse clamitat. Jo. Lampadius, Theologiæ apud Bremenses Professor, dedicatione Mellificii Historici Pezeliani vociferatur, Lutheranos omnes de Christo fidei articulos pervertere, conceptionem, nativitatem, passionem, crucifixionem, mortem & sepulturam in Marcionitica phantasmata resolvere, resurrectionem & ascensionem in Utopiam relegare. Orthuinus Gratius Anhaltinus, sub quo personato nomine Becmannus latitat, Tractatu contra B. Liebhardum edito p. 190. Lutheranos, canes & idololatras vocat. Elias Grebenitzius, Strimesii Præceptor, in Unterricht von der Reformirten und Lutherischen Kirchen / qui liber A. M DCC I. Francofurti recusus est, p. 296. nugatur. Die Lutheraner wären mit schwehren gefährlichen Anti-Christischen Zeichen und Wundern behafft & eadem pag. sie rissen den Grund des Glaubens um & pag. 227. & 228. fingit, es lehreten die Lutheraner einen handgreifflichen Pelagianismum, so aus heydnischer Philosophie und Vernunfft von der Stoischen Secte herrührte. Henricus Hulsius Tr. de vallibus Prophetarum p. 72. Lutheranos propter baptismale dogma, Magos, propter electionis dogma Pelagianos, propter Eucharisticum dogma crassisimos Pontificios appellat. Salomon Finckius, Apostata, deblaterat p. 16. P. II. sie erwehlten einen andern GOtt

und

und Christum / p. 32. sie wären ärger als Capernaiten / p. 56. sie bauеten der Heyden / der Bockheiliger und der Papisten Götzen pyramides nach. Bellosobrius in Defensione Doctrinæ Reformatæ calumniatur, Lutheranos reiicere des verites certaines & universelles, ques les Barbares reconnoissent comme les Philosophes p. 662.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, agnoscendum Calvinianis Doctoribus est, quod hac in parte nobis gravem injuriam fecerint.

OBSTACULUM SEXTUM VICESIMUM.

Quod Sendomirienſem consensum, quiplane Lystricus fuit, commendent.

PROBATIO.

SAmuel Strimesius Acta Synodi Sendomirienſis, quæ splendidum, ast fallacem & adulterinum consensus titulum ostentat, prologo galeato communita A. MDCCIV. vulgavit. Hoc consensu (quem dissensum rectius appellaverim) nec perfectius ullibi editum hactenus, nec diuturniore duratione felicitatum esse thrasonice jactitat, argumentisque IX. demonstare allaborat. Ne vero quis credat, illum, cum a multis eruditissimis viris illius conventiculi imperfectio, fraudulentia & plusquam Barbarica crudelitas oculis omnium subjecta sit, pudore commotum a sententia destitisse; fert animus ex Inquisitione in controversias Evangelicorum A. MDCC VIII. excusa ostendere, quam alta mente reposta opinio maneat. Ita enim p. 87. §. V. remisso lectore ad supra commemoratum Librum, imitationem tam salubris, cordati, ac prorsus Christiani facti atque exempli Protestantibus in Germania nostra aliisque vicinis regnis septentrionalibus, quin in Europaeo Integro, ubicunque tandem Protestantes utriusque partis inveniuntur, toto pectore apprecatur & acquiescere se in judicio Hornbeckii de hoc con-

consensu Miscellan. Sacr. P. I. p. 703. lato, testatur. Vah! quam infirmo fundamento tanta præconiorum moles innititur! Hæccine tam egregia Synodus est, in qua capita de communicatione idiomatum, de communione naturarum in Christo, de majestate humanæ naturæ, tam creditu necessaria silentio sepeliuntur? Hæccine splendidum consensus nomen meretur, in qua ulcus maledictorum & conviciorum in DEum Patrem, acsi cunctorum hominum misericordia non ducatur, in Filium, quasi hujus universi Redemtor non sit, & in Spiritum S. tanquam si nollet omnibus fidem largiri, a Cinglianis profusorum, prorsus non tangitur? Hæccine tantis laudibus evehenda est, in qua formula de S. Cœna, ut Obstaculo XXXII. probabitur, ex dubiis & fallacibus verbis composita nostrates circumvenit? Quem fugit, omnium consociationis hujus subdolæ Architectorum consilia violentiam & vim spirasse & anhelasse? Qvis in historia tam hospes est, ut nesciat, Calvinianos in ipsa Synodo Paulo Gericio, Posnensis Ecclesiæ Ministro, acinaces intentasse propterea, quod conscientiæ stimulis compunctus, eam improbabat, & exterorum quorundam Theologorum de illa judicia afferebat? Imo intrepidus hicce veritatis divinæ assertor officio motus, carcere constrictus, anathemate devotus fuisset, nisi Lutherani quidam nobiles illum contra Tyrannicas machinationes tuiti fuissent. Quem latet, post consensum nostrates, molitionibus Calvinianorum, Ecclesiis plus quam centum exutos esse? Cui ignotum est, his permotum esse Regem, Sigismundum III, ut in mortuorum Senatorum Reformatorum locum, semper Papæos subrogaverit? En mite consensus exemplar, quod Strimesius cum aliis tam vehementer inculcat! Talem vero unionis pestem quam Synodi illius deprædicatione invehere tentant, ab Ecclesia averruncet DEus! Interim vide plura apud Christophor. Hartknochium Historiæ Ecclesiasticæ L. IV. C. III. p. 904. 905.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Calvinianos consensum Sendomirienſem non

non modo non commendare amplius, sed & damnare & detestari oportet.

OBSTACULUM SEPTIMUM VICESIMUM.

Quod alias etiam unionem violentis consiliis promovere annitantur.

PROBATIO.

AUctor ollæ pauperum judicat p. 18, man solle den Geistlichen/ welche fax & tuba aller Uneinigkeit in Religions-Sachen wären / das Maul stopffen mit Herings-Milch. Nemlich man müste diese animalia disputacia und inutilia terræ pondera in einer heissen Stube einsperren/ und ihnen nichts als Hering zu fressen / dabey aber nichts zu trincken geben. Wenn man dann darausen am Fenster ein gut Glaß Bier præsentirte/ so würden sie sich bald accommodiren und mit dem ersten Truncke Brüderschafft machen. Sam. Diestius in L. de lite & pace religiosa Evangelicorum p. 218. pronuntiat, Calixtinos, & his in animi lenitate & modestia similes, rigidioribus Wittenbergensibus eorumque similibus, qui quasi βοανεργες videri velint, præponendos esse; & Magistratus Politici esse munus, eosdem turbones, pacisque Ecclesiasticæ adversarios, ante a se sancita refractariis mulcta severe coercere, eamque, crescentibus delictis augere, eosdem ab omnibus publicis muniis arcere, & solos viros moderatos ad eadem promovere; quin & subjectorum suorum liberis, studiis operam daturis, turbonum ac durissimorum illorum hominum Institutioni se committere subpœna denegandæ omnis ad Politica vel Ecclesiastica munia promotionis serio interdicere. Fridericus Spanhemius lætatur Elencho Controvers. p. 343, 344. in amplissimis ditionibus potentissimi Electoris Brandenburgici eristica arceri, revocarique ad animos, quæ in rem svasissent Viri spectatæ pietatis, moderationis, prudentiæque, Peuceri Pierique. Miseros nos, si illorum virorum perjurorum & perfrictæ frontis nebulo-

num pietas, moderatio, & prudentia, quæ in acerrimis Evangelicorum divexationibus spectata est, invalescat! Auctor des neugebahnten Weges zu einem Evangelischen Kirchen-Frieden/ oder propositiones eines neuen leichten und sichern expedients zu erwünschter Association der protestirenden p. 34. religionum consociationem, quam cum nova calendarii mutatione comparat, suscipere nolentes turbulenti animi accusat, & redigendos in ordinem ac velut freno cœrcendos censet. Auctor der Exception Schrifft p. 31. affirmat, man habe sich an die iras impotentium virorum nicht zu kehren & pag. 17, gloriatur, es würde sich künfftig zeigen/ wer unter den beyden (Lutheranern und Reformirten) des andern Erbarmen nöthig haben werde. Hic est Calvinianus spiritus, hæc summa votorum, hoc cogitant, hoc agunt, hoc moliuntur, ut unioni non velificantes Lutheranos divexent, expellant, exstirpent. Quare Leydeckeri verbis tanquam propriis telis illos oppugno, qui Lib. 17. de verit. relig. Christianæ C. 17. p. 677, cum nihil magis, inquit, repugnet fidei Christianæ quam persecutio, Pontificii (Calviniani, hoc tempore summas dant rationes, quare *non possimus ipsorum communionem amplecti*, quando quam maxime nos ad se invitant, movent, cogunt.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, nostrates certos ab iis fieri par est, quod ab omnibus violentis consiliis sibi temperaturi sint.

OBSTACULUM OCTAVUM VICESIMUM.

Quod inter Calvinianos ex propria eorum confessione omnia litibus & rixis oppleantur.

PROBATIO.

IO. Ludovicus Fabritius, Theologus Archiapalatinus, respuit provinciam, Theologiam publice Franeckeræ docendi, a curatoribus Aca-

Academiæ illius oblatam, professus, tanta cum intemperie ibi lites agitari, ut moderationis, prudentiæ & respectus honesti minima ratio habeatur, ut *vix impetuosius falsamentarii & furiosæ anus* agere soleant, adeoque se ab hoc vitæ genere abhorrere, ut, si statio illi deferenda esset, privatam, quam gladiatoriam ejusmodi vitam agere malit. Videatur Historia vitæ & obitus ab Heideggero conscripta p. 75. Nec est, quod regerant adversarii, inter nos & Pietistas varias controversias agitari. Nam illi sunt Ecclesiæ hostes intestini, quibus exemplo Pauli, Pseudoapostolos magno animi fervore confutantis, merito repugnamus.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Calvinianos prius proprium inter semetipsos contendendi & rixandi pruritum deponere fas est.

OBSTACULU NOVUM VICESIMUM.

Quod mordicus adhuc Catechismo Palatino, Synodique Dordracenæ actis adhæreant.

PROBATIO.

FRidericus Spanhemius tantis laudibus Synodum Dordracenam extollit, ut in Elencho Controvers. cum Arminianis p. 7. ad Oecumenicas veteres seu generales Synodos proxime accedere pronuntiaverit. Reformatus ille, qui A. M DCC. sub personato Davidis Philalethi nomine de unione inter nostrates & Reformatos Epistolam edidit, p. 11. profitetur; **es komme den Reformirten höchst unbillig und impracticabel auch guten theils absurd und lächerlich vor / daß sie den Heidelberger Catechismus und ihre Symbolische Bücher fahren lassen sollen.** Sam. Strimesius in Stricturis in Spanhemii controvers. cum Armin. p. 20. affirmat, Ecclesiam Marchicam, licet priora Synodi Dordracenæ acta libris Symbolicis haud inseruerit, non tamen ob id vel minimam a Patribus Dordracenis horumque assertis publicis separationem moliri, &

pag. 23. concludit, & legitime convocatam, &, ſubſtantialibus omnibus rite obſervatis, legitime habitam, continuatam, finitamque eſſe, ut particulari nationalique nullicedat, quin has omnes multis paraſangis ideo poſt ſe relinquat, quod ex pluribus Reformati orbis nationibus collecta fuit. Hœckius in præfatione Commentarii in Catecheſin Palatinam Anno MDCCXL editi jactitat, hanc & Synodi Dordracenæ acta publica eſſe Eccleſiaſticæ unionis vincula ſvavia, orthodoxiæ teſſeras & ſigna utilia, heterodoxiæ repagula vera, laſcivientium ingeniorum cancellos conſpicuos. Vides non ſine horrore, benevole lector, ejusmodi confeſſiones a pacis Eccleſiaſticæ buccinatoribus tam effuſe laudari, quæ impuriſimas Calvini, Zinglii & aliorum fæces largiter propinant. Animadvertis inprimis, Synodum Dordracenam tam liberaliter deprædicari, quæ doctrinam de gratia DEi abſolutiſſima tanquam cor Eccleſiæ & palladium veneratur, vid. Seſſ. XLII. p. 212; quæ rejectionem duriorum loquutionum, quæ in Reformatorum Doctorum ſcriptis reperirentur, decrevit eſſe omittendam, ſub futili & ficulneo prætextu, calumniaturos alias adverſarios, rejectione phraſium damnari doctrinam orthodoxam, quam profeſſi eſſent illi, qui in ejus explicatione ejusmodi phraſibus durius aut imprudentius uſi viderentur, ac nonnullos ex iis loquendi modos eſſe, quibus ipſe Spiritus S. uſus eſſet. Seſſ. CXXXII. p. 338. Omiram cæcitatem! o incredibilem pertinaciam! Qua ratione quæſo excuſare, nedum cum S. Scriptura conciliare poterunt propudioſas & blaſphemas voces, quas infernalis Draco per illos protruſit. Liceat mihi unica Zwinglii ſententia chartam hanc deturpare, ut eo magis impietas tum conciliabuli Actorum Dordraceni Conſarcinatorum, tum eadem hodie defendentium & dilaudantium pateat. Sic improbe Lib. de Providentia C. V. ſcribit: Wenn ſchon ein Brülochſe auf alle Kühe ſpringet / und ſie tragen machet / ſo iſt ihm doch keine Sünde / ſondern ein groſſes Lob. Wenn aber des Brüllochſen Herr neben ſeiner Ehe-Frauen nur ein einiges ander Weib berühret / mag er des Ehebruchs beſchuldiget werden aus dieſer Urſach: Dem Herrn iſt das Geſetz gegeben; du ſolt nicht ehebrechen. Dem Brüllochſen wehret kein Geſetz. Den Grund und Meynung dieſes

alles

alles begreifft Paulus mit kurtzen doch wahrhafftigen Worten (wie das ander alles): Wo kein Gesetz ist / da ist auch keine Ubertretung noch Sünde. GOtt dem höchsten Hauß-Vater ist kein Gesetz gegeben/ drum sündiget er auch nicht / wann er schon dasselbige in Menschen thut und wircket / welches dem Menschen Sünde ist / ihm aber ists keine Sünde. Confer, si placet, Philippum Nicolai in der kurtzen Bericht von der Calvinischen religion p. 9. seqv. qui liber nuperrime cura Clarissimi Gœbelii prudentissime recusus est.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, Catechismum Palatinum & Synodi Dordracenæ acta, generali Calvinianorum Synodo penitus eliminari fas est.

OBSTACULUM TRICESIMUM.

Quod Particulariſtæ magis magisque caput efferant etiam in iis regionibus, in quibus Calviniani pro Universaliſtis haberi cupiunt.

PROBATIO.

POtentissimus Borussiæ Rex, Fridericus Tertius (quem DEus omnibus bonis cumulet) ex sua ditione quidem portentosam Particularismi chimæram laudabili edicto proscripsit. Nihilominus tamen Ao. MDCC VII, Wesaliæ Liber sub hac inscriptione excusus est; Anleitung zu besserem Verstand und Erlernung des Heidelbergischen Catechismi oder darinn verfaster Lehre der Warheit / die nach der Gottseligkeit ist / in quo Particularismi venenum fœdissime incrustatur. Pag. enim 9. quæstio proponitur, Soll ein jeder auch unwissender und unbußfertiger Sünder sich so fort trösten und dencken / Christus sey sein Heyland? Antwort. Nein: Solcher gestalt betriegen sich viel / und gehen ewig verlohren. pag. 10. quæritur, wodurch hat Christus solche Erlösung zu wege gebracht? Antwort: Indem er vollkömmlich vor die

Sünden der Erwehlten bezahlt / und sie also erkaufft hat & p. 36, was hat der Vater in dem Bund von seinem Sohn begehret? Antwort: Daß er seine Seele solte geben zum Schuld-Opfer für die Sünder der Erwehlten. Nec difficile probatu esset, inter ipsos Concionatores aulicos Berolini pariter & inter Theologos Francofurtenses Particularistas apertos reperiri.

OBSTACULUM PRIM. TRICESIMUM.

Quod Universaliſtæ ipſi cum Particulariſtis conſpirent.

PROBATIO.

BArtholdus Holtzfuſſius Tr. de prædeſtinatione ad promovendam concordiam Eccleſiaſticam edito, profitetur quidem DEum totius lapſi generis humani miſertum, cum eo fœdus gratiæ inire decreviſſe, ac filium DEi omnibus vitam æternam ea lege acquiſiviſſe, ut in hunc Mediatorem per vires gratiæ huic fœderi indivulſo nexu conjunctas, vera & viva fide crederent, æternæque ſalutis participes redderentur, ſtatuiſſe etiam DEum omnes ubique non hypocritice nec ſub conditione impræſtabili, ſed ſerio & ſufficienter vocare, & pathetice invitare p. 33, 34; nihilominus tamen perfidum Pierium, qui particularem gratiam variis contra Philippum Nicolai τὸν μακαρίτην ſcriptis tanquam pro aris & focis defendit, una cum Pezelio *pium Bremenſem* p. 71. appellat, & electionem ex fide præviſa factam eſſe p. 115. negat. Quanquam Strimeſius in Annotationibus ad Spanhemium p. 47. fatetur redemtionem lapſi generis humani a DEo Patre reſpectu omnium & ſingulorum hominum intentam ac a Chriſto Domino ipſo actu partam eſſe, frivoleque excipi, quod per omnes homines 1. Tim. II. 4. non ſinguli generum, ſed genera ſingulorum deſignentur; pag. 54. tamen cum Synodo Dordracena eos periculoſi ac Pelagiani veneni accuſat, qui DEum, quantum ad ſe attinet, omnibus hominibus ex ÆQVO ea beneficia conferre voluiſſe doceant, quæ per mortem Chriſti acquiruntur. In Epiſtola Irenica p. 31. veriſimillimum eſſe pronuntiat, omnes omnino homines, poſt conceſſam nudam potentiam reſipiſcendi

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0048
DFG

di & credendi Spiritui S. tamen malitioſe reſiſtere, atque adeo quosdam eorum *ex abſoluto beneplacito* electos eſſe ad fruitionem gratiæ *determinantis*. Inquiſitione in controverſias Evangelicorum p. 733, 734. probare anniſus eſt, a Particulariſtis nulla ex parte fidei fundamentum lædi nedum everti, itemque ex Particulariſtarum ſubſumtione multo efficacius ſolatium quam Univerſaliſtarum derivari.

CONSECTARIUM, utriusque Obſt.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, Particularismus generali quadam Calvinianorum Synodo ubique eſt penitus abolendus & deteſtandus, & omnis cum Particularismo conſpiratio & Conjunctio prorſus interdicenda.

OBSTACUL. SECUND. TRICESIMUM.

Quod verbis ludant æquivocis incautos decepturi.

PROBATIO.

SPenerus Francofurti A. M DC LXVII. concionem elegantiſſimam (quam tamen deinde pro fœtu ſuo ex perverſa adulatione agnoſcere noluit) Dominica VIII. poſt Trinitatem contra falſos Prophetas, figillatim Calvinianos habuit, ut a ſe ſuſpicionem hypocriſeos & tepiditatis amoliretur. Inprimis prudenter p. 33. monuit, ne phaleratis, flexiloquis & ambiguis illorum verbis in fraudemnos induci pateremur. Die Reformirten, inquit, reden mit den Formuln / damit auch rechtgläubige pflegen ihren Glauben zu bekennen / aber verſtehen ſie anders / und betrügen ſie alſo auf dieſe Weiſe die Leute / oder ſetzen dazu / oder nehmen davon / aber gar unvermerckt. Was harte Lehren ſind / und allzu grob / welche gleich den Menſchen abſchrecken würden / die lehren ſie nicht offentlich oder bald zuerſt / ſondern verhälen ſie / oder brauchen doch groſſe Klugheit dabey / daß ſie ſich nicht damit verhaſſt machen noch herausplumpen / biß ſie meinen / ſie haben allbereit erhalten / was ſie begehren. Quæ optima verba exemplis nonnullis ut illuſtrem, inſtituti ratio poſtu-

postulat. Formula S. Cœnæ in Sendomirienſi Conſenſu ita erat conce-
"pta: Deinde vero, quantum ad infelix illud diſſidium de Cœna Domi-
"ni attinet, convenimus in ſententia verborum Domini noſtri Jeſu
"Chriſti, ut illa orthodoxe intellecta ſunt a Patribus ac inprimis Ire-
"næo, qui duabus rebus ſcilicet terrena & cæleſti hoc myſterium con-
"ſtare dixit. Neque elementa ſignave nuda & vacua illa eſſe aſſerimus,
"ſed ſimul re ipſa credentibus exhibere & præſtare *fide* quod *ſignificant*.
"Denique ut expreſſius clariusque loquamur, convenimus, ut creda-
"mus, & confiteamur, ſubſtantialem præſentiam Chriſti non ſignifi-
"cari duntaxat, ſed vere in cœna eo veſcentibus *repræſentari* diſtribui &
"exhiberi corpus & ſanguinem Domini, Symbolis adjectis ipſi rei mi-
"nime nudis *ſecundum ſacramentorum naturam*. Singula fere verba falla-
cis amphiboliæ monſtrum alere quis eſt, qui non videt? Patrum enim,
qui a Sacramentariorum deliriis dolisque fuerunt alieniſſimi, mentio-
nem fecerunt, ut ſimplicibus & incautis eo facilius fucum facerent.
Fidem commemorant, per quam familiari Cinglianis fallacia ita exhi-
beri rem cæleſtem credunt, ut fides animo & cogitatione ſtipata in cæ-
lum ruat, & ibi abſens accipiat corpus Chriſti. Voce ad circumvenien-
dum compoſita *repræſentari* utuntur, quæ & præſentem oſtendere & in
memoriam revocare & imaginem proponere efficereque, ut ad ſimi-
litudinem accedat, denotat. Id vero ſibi volunt vocabulo iſto, quod
Chriſtus reſpectu paſſionis ſuæ in fractione panis velut in pictura &
imagine manducantium oculis veluti præſens ſiſtatur, & in memori-
am revocetur. Hinc ambiguam & ſatis decantatam limitationem adji-
ciunt, *ſecundum Sacramentorum naturam*. Quid? quod Eccleſiarum Cal-
vinianarum Antiſtites, cum Gericius ſub conſcientiæ fide illos inter-
rogaret, num ſubſtantialem corporis Chriſti in S. Cœna præſentiam ex
animo ſtatuerent, ſtatua erant taciturniores. Politici quidem, frau-
dem non ita animadvertentes, eam ſe credere affirmarunt. Chriſtianus
Becmannus ſive Maſſonius Anatomia Univerſali P. III. p. 137. in ca-
lumniæ crimen vocat eos, qui Calvinianos univerſalitatem mortis
Chriſti negare admonent, & tamen eadem pagina ſcribere eum non
pudet; er halte es mit Beza dafür / daß es nicht recht ſey / wenn man den
Spruch

Spruch Joannis, Christus ist die Versöhnung für der gantzen Welt Sünde/ also auslegen wolte/ Christus ist gestorben und hat versöhnet Gläubige und Ungläubige/ Bußfertige und Unbußfertige/ Verdammte und Unverdamte. Denn für die Ungläubigen/ Unbußfertigen/ Verdamten sey er nicht gestorben. Franciscus Burmannus Synopsi Theologiæ T. II. p. 391. Christum realiter & substantialiter præsentem in Cœna esse concedit, & tamen p. 392. corporis Christi in Cæna præsentiam Anti-Christi commentum esse clamitat. Conradus Bergius Thematibus Theologicis p. 208. docet, hunc panem & hoc vinum etiam effectu idem esse atque ipsissimum corpus & sanguinem in cruce pro nobis datum & effusum, nec devota minus cordis præparatione tractandum, quam si ipsissimam Christi carnem & sanguinem nobis porrigi videremus. Verum quod dictum, indictum, quod ratum modo erat, irritum redditur asserendo p. 225. esse tantum corpus Christi in S. Cœna *commemorative*. Samuel Strimesius sinceram ac dilucidam Reformatorum animi sententiam esse, quod Christus substantialiter in S. Cœoa sit præsens, docet Epistola Irenica ad Doctissimum Dominum Dan. Severinum Scultetum p. 105. Nihilominus pag. statim sequenti 106. cum eodem Calvino & Beza existimat, corpus & sanguinem Christi ab Eucharistia distare, quantum cælum a terra. Nonne ergo Strimesius propria vineta cædit, cum præfat. de Socinianis in fraternitatem non cooptandis, illos propterea ab hac excludit, quod more sibi solemni verbis ludant æquivocis, incautos decepturi?

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, nostrates sufficientibus documentis ab iis certos fieri par est, quod in posterum ab omnibus ambiguitatibus serio abstinere velint.

OBSTACUL. TERT. TRICESIMUM.

Quod Articulum de justificatione & salute per solam fidem magis magisque labefactare & pervertere aggrediantur.

PROBATIO.

GEorgius Bullus, Presbyter Anglicanus in Harmonia Apostolica ejusque vindiciis operum justitiam tam crasse urget, ut vix Pontificius aliquis Scriptor impudentius possit. Imo Jo. Ernestus Grabius in præfatione ad T. I. Spicilegii S. S. Patrum asserit, vix ullum in Anglia Theologum alicujus nominis vel doctrinæ reperiri, qui cum Bullo non consentiat. Scrivenerus in Apologia pro Patribus p. 87. audet affirmare, justificationis per solam fidem neque volam neque vestigium percipi posse a sincero Scripturæ scrutatore, & nullam, ne semel quidem, fidei illus mentionem incidere. Vid. B. Thomæ Ittigii Dedicatio præfixa L. de Synodis nationalibus ad Magnificum & summe venerabilem D. Fechtium p. 8. & 9. Bartholdus Holtzfussius Disp. de neneccessitate bonorum operum A. MDCCI. consentiente ordine Theologico Francofurti habita p. 33. disputat, hodiernis temporibus magis contra abusum quam contra contemtum gratiæ divinæ secus ac Reformationis inchoatæ temporibus loquendum & scribendum esse, ac proinde potius cum Jacobo; non sola fides; sed fides & opera; quam cum Paulo: fides sine operibus legis justificant, diligentissime ac sine intermissione, salva tamen doctrina Evangelica de gratuita justificatione nostra docendum scribendumque esse, & pag. 34. testatur, non videre se, quare propositio ista, quod bona opera sint necessaria ad salutem, adhiberi non possit aut debeat, necputare se, eam ab hypotyposi sanorum verborum alienam esse, unde etiam omnes Reformati Doctores eam approbent. Benedictus Pictetus in Dissert. de consensu & dissensu p. 101 negat, Christum esse causam meritoriam salutis. Guilhelmus Forbesius L. I. de justificat. C. III. §. 16. p. 16. 18. contendit, nos sola fide non justificari. Braunius in Doctrina fœderum p. 468. statuit, bona opera esse viam ad adeundam hæreditatem divinam. Strimesius p. 289. Inquis. in Arminian. necessitatem bonorum operum ad salutem sine iis a nemine ordinarie obtinendam contra Solifidianos intonandam esse scribit, ac perinde esse, sive eam necessitatem causæ sine qua non, sive conditionis & requisiti sine quo non appellites, siquidem causa & conditio

ditio Philosophis æque ac plebi omne istud significat, sine quo aliquid non obtineatur, uti extensio manus a paupere facta conditio pariter & causa sine qua non Eleemosynæ impetratæ dicatur. Arrigite vero aures, vos in Christum injurii & dogmatis, infelicitatis & miseriæ feracis propugnatores, audite Davidem, qui illum hominem beatum prædicat, cui DEus imputat justitiam sine operibus Ps. XXXII. 12. Pateant aures vestræ verbis Pauli Gal. V. 4. efficacissimis: Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε. coll. Cap. I. 8. & II. 16.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, omnia, quæ Articulo de justificatione & salute per solam fidem vel directe vel ex obliquo repugnant, e cathedris, suggestibus, & scriptis suis eliminare tenentur.

OBSTACUL. QUART. TRICESIMUM.

Quod Scripturam inverecunde tractent, eamque ad rationis suæ lancem exigant & mensurent.

PROBATIO.

STrimesius quidem præfatione de Socinianis in fraternitatem non cooptandis eos reprehendit, quod S. Biblia non verecunde tractent, & ut Papistæ ad decempedam confictæ infallibilitatis Papæ sui, sic ad rationis suæ ex propria licet confessione perquam imbecillis atque fallibilis stateram effata divina mysteriaque quævis appendant & metiantur. Utinam verò ab hoc nefando crimine ipsi Reformati immunes essent! Cur enim venerabile dogma corpus Christi esse ubique quodipse Christus Matth. XXVIII. ult. commate, ut & Paulus Eph. I. 23. IV. 10. inculcant, plumbeo male sanæ rationis pugione transfigere allaborant? Cur verba Cœnæ dilucida, ast omnem rationis sphæram excedentia, *hoc est corpus meum* instar cerei nasi in *hoc non est corpus meum* detorquent? Cur Paulinum dictum, *qui dedit seipsum in redemtionis pretium*

pro omnibus 1. Tim. II. 5. in eum sensum acsi non pro omnibus, sed pro pauciſſimis se dederit, deflectunt? Cur impiis & pestilentiſſimis glosſis dicta præstantiſſima & saluberrima Ezech. XXXIII. 11. Jo. III. 16. 1. Jo. II. 2. conspurcant, & DEi infinitam benignitatem ad solos electos constringunt? Quam audacter Calvinus omnia vaticinia Vet. Instrumenti de Christo depravet & enervet, Ægidii Hunnii Liber, qui Calvinus Judaizans inscribitur, testatum facit. Iisdem unguibus involavit in N. F. adeo ut Sacro Sancto Joannis dicto ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν, Cap. X. 30. abusos veteres esse, ut probarent, Christum esse Patri ὁμοούσιον, statuerit. Hujus vero Theiologi scripta non reiiciunt, non condemnant, sed legunt, approbant, & aliis commendant. Nec longe ab illo abierunt Petrus Allinga & Hœkius. Ille quidem in der Abhandelung der fürnehmsten Streitigkeiten p. 143, Dan. VII. 14. de Christo agi negat; hic commentario in Catechesin Palatinam p. 308. & 309, Tit. III. 5. Jo. III. 8. Baptismum non indigitari improbe asserit. Ut infinita idiomata humanæ Christi naturæ horrendo sacrilegio eripiantur, Strimesius L. von der Vereinigung eigentlichen Natur und Beschaffenheit p. 108. & 109. Eb. VIII. 4. in textum *adhuc* (wenn er noch auf der Erden wäre) infarcit, sicut Draco infernalis Pſ. XCI. *in omnibus viis tuis* callide omisit.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, ab hoc abusu Scripturæ iis penitus abstinendum, nec aperta Sacrarum literarum verba amplius torquenda sunt. Si enim eos non pudet depravare verba Christi, multo minus verba propria detorquere atque sic nobis imponere erubescent.

OBSTACUL. QVINT. TRICESIMUM.

Quod veterum Calvinianorum blasphemas de Baptismo & S. Cœna opiniones & voces tueantur, expoliant, & imitentur.

PRO-

PROBATIO.

PRimum videamus, quam abjecte de Baptismo sentiant Calviniani. Pictetus Dissert. Iren. C. IV. num. 10. Baptismum necessarium esse necessitate medii infitiatur. Spanhemius Elencho Controvers. p. 383. a generalibus verbis Christi, *qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur*, infantes satis pro imperio excludit, nihil ibi Christum de infantibus per Baptismum regenerandis docuisse contendens. Franciscus Burmannus Synopsi Theologiæ p. 351. Lutheranos crassius loqui existimat eo quod Baptismum causam regenerationis inchoatam esse statuant, & pag. 354. scribit, Sacramenta tantum gratiæ signa & fœderis signacula esse. Jo. Braunius in doctrina fœderum Vol. II. P. IV. cap. XXI. §. 16. velut in os contradicturus Petro & Paulo, per Baptismum nos salvari negat, signum tantum fidei esse ratus. Herm. Witsius Oecon. fœderum L. IV. C. XVI. p. 885 Baptismum lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. significative, typice & figurate esse arbitratur. Strimesius Annot. ad Spanhemii Elenchum p. 321. Arminianis concedit, Sacramenta non esse necessaria necessitate medii, sed præcepti duntaxat. Nec minus caput nostræ fidei de S. Cœna horrendo & sacrilego dogmate pervertunt. Jo. Marckius in Medulla Theologiæ Christianæ p. 402, 403, 410, præcipit, in Institutione Domini verba promissi esse metonymice intelligenda, sicut septem vaccæ bonæ sint septem anni, ager sit mundus, septem stellæ sint septem angeli Ecclesiarum, & septem candelabra, septem Ecclesiæ. Spanhemius Elencho Controvers. negari a Reformatis fatetur, quod verba institutionis Eucharisticæ, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus proprie & naturaliter plane κατὰ τὸ ῥητὸν sint intelligenda. J. F. Ostervald Catechismo Genevæ A. M DCCII. edito plane absurdum & falsum esse statuit, quod Apostoli corpus Magistri sui comederint: il faudroit dire encore, que les Apostres mangerent le corps de leur Maitre, ce qui est tout a fait faux & absurde p. 224. Petrus Haagenius VIII. concione de S. C. p. 390. *carnem Christi nemini utilem esse* nugatur. Jo. Claudius Tr. La defense de la Reformation contre le livre intitulé Prejugez legitimes contre le Calvini-

viniſtes Amſtel. 1683. profitetur, hodiernos Reformatos cum Zwinglio plane conſentire. Quand l' Auteur de Prejugez prendra la peine de bien conſiderer le ſens de Zwingle & le nôtre, il y trouvera un parfait accord. Jo. Wilhelmus Pfefferus in Manuali p. 69. in Euchariſtia prædicari *eſt de non ente* pronuntiat. Belloſobrius in Doctrinæ Reform. Defenſione, on mange, inquit, le corps de Jeſu Chriſt dans le pain, comme il y eſt. Il y eſten ſigne & en Sacrement, & on le mange auſſi en ſigne. Jo. Braunius in Doctrina fœderum P. IV. C. XXII. §. 17. tradit, totam iſtam communionem & manducationem corporis Chriſti eſſe ſpiritualem ac fieri per fidem, ut eum recipiamus fide non ore, mente non corpore. Jo. Henricus Hottingerus in Apologia Euchariſtiæ tradit pag. 10. non Tigurinos tantum, ſed ceteros per Germaniam, Galliam, Poloniam, Angliam, Hungariam Tranſylvaniam, totum quin imo orbem Reformatos conſtanter docere, in verbis Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ obſervari tropum. Bened. Pictetus in Theol. Chriſtiana pag. 964. negat, corpus Chriſti præſens eſſe in S. Euchariſtia, ita ut ſit actu & realiter in Sacramento. Auctor der Erwegung p. 236. exſecrandas blaſphemias, *quaſi DEus noſter ſit* **ein gebackener / ein freßlicher / ein Säuflicher / ein Brodterner** defendere non dubitat. Strimeſius in Inquiſitione p. 291. contendit, oralem manducationem ἀνθρωποφαγίαν & αἱματοποσίαν DEo hominique abominabilem inducere & noſtratium ſententiam eſſe Chriſto contumelioſam. Hœkius p. 335. Comment. in Catechismum Heidelberg. Inſtitutionem S. Cœnæ docere non corporis præſentiam ſed abſentiam.

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio inſtituatur, has blaſphemias a tota Calviniana Eccleſia publice non modo reiici, ſed & abominatione & anathemate devoveri neceſſe eſt.

OBSTACUL. SEXTUM TRICESIMUM.

Quod agno pro nobis mactato majeſtatem ſuam eripere, eumque ex univerſo mundo eiicere aggrediantur.

PRO-

PROBATIO,

BEnedictus Pictetus Dissert de consensu & dissensu inter Lutheranos & Reformatos p. 34. humanam Christi naturam esse infinitorum donorum nempe omnipotentiæ, omnipræsentiæ &c. capacem negat. Idem pag. 596. Theolog-Christiana docet, Christum ita esse in cælis, ut cælo contineatur. El. Grebenitzius in Unterricht p. 209. vitio nobis vertit, quod affirmemus, die Menschliche Natur sey allwissend / allmächtig / und allgegenwärtig. Melchior Leydeckerus de veritate Relig. Reform. LIV. C. III. p. 416. proprietates incommunicabiles esse differit, nec idiomata infinita humanæ naturæ Christi communicari potuisse. Franciscus Burmannus Synopsi Theol. L. V. C. VIII. p. 32. negat, ipsam Christi humanitatem in persona τοῦ λόγου adorandam esse, Lutheranos hac sententia personas discerpere, & ad Socinianos ἀνθρωπολάτρας accedere criminatus. Jo. Braunius Doctrina fœderum Vol. II. P. IV. C. XVI. §. 22. protestatur, Reformatos non statuere, quod ipsa natura humana adoretur. In Catechesi Wesaliæ excusa quæstio hæc exstat pag. 89. Ist dann Christus nicht bey uns biß ans Ende der Welt / wie er uns verheissen hat? Antw. Christus ist wahrer GOtt und wahrer Mensch: nach seiner menschlichen Natur ist er jetzund nicht auf Erden.

Tantus erat Caroli in Germanos suos affectus, ut Hispanis eorum discessum urgentibus eos accersi curaret, & sequendem in modum alloqveretur. Hispani, Germanos omnes abire cupiunt. Cum ergo, o mei, Germanus sim, primus abibo. Discedentem Germani promte sequebantur, sed Hispani quid fieret conspicati ad genua ejus protinus advolvebantur, veniam submisse precaturi. Jam vero Calvinistæ non ut Hispani subditos, sed Imperatorem Imperatorum & Regem Regum, Dominum nostrum Jesum Christum toto orbe proscribere annituntur. Quid, quæso, nobis faciendum erit, siquidem fidem Domino nostro præstare velimus? num Ecclesiasticam societatem cum iis inire fas erit, quibus grave est, Christum secum habere? Absit. Habeant sibi res suas Calviniani, nec unquam a nobis unionem & fraternitatem exspectent, quamdiu Christum in exilium agere abominabili sacrilegio conantur.

CON-

CONSECTARIUM.

Antequam ergo ulla de unione cum Calvinianis deliberatio instituatur, majestatem agni mactati, ejusdemque secundum humanam naturam, omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiamque serio ab iis agnosci oportet.

CONFUTATIO,

Regii Evangelicorum Philadelphianismi Berentiani, Regiomonti nuperrime excusi.

§. I.

Ex supra a nobis allatis satis superque per se patebit, unionem Ecclesiasticam, inter nostrates & Calvinianos prius non posse coalescere, quam impedimenta omnia e medio ab iis sint sublata. Hinc Joannes Berent, U. J. D. oleum & operam, præpostera & intempestiva invitatione ad ineundum pacis religiosæ atque unionis Evangelicorum fœdus, perdidit, cum in id potius incumbere oportuisset, ut Calviniani ad saniorē mentem redigerentur. Quamvis ergo vix operæ pretium videatur, librum hunc examini ulli subjicere; amore tamen veritatis *strictim & breviter* perstringere lubet. Cramben enim vel centies recoctam denuo apponere, & eandem semper incudem tundere insipientis est. DEus autem clementer adsit laboribus nostris. Amen.

§. II. Liber ipse cum titulo pugnat. Vere enim Philadelphiensis Ecclesia servat sermonem DEi Apoc. III. 7. & tenere per gratiam DEi studet, quod habet, ne quis ipsi auferat coronam suam, commate 11. Nihil ergo rei esse debet cum Calvinianis, qui verbum Christi tanti ducunt ut Christo dicenti HOC EST CORPUS MEUM ex adverso respondeant: HOC NON EST CORPUS CHRISTI.

§. III. In Dedicatione multa occurrunt, quæ reprehensionem merentur. 1.) Pietatem p. XXIV. Ursino de Bären, Calviniano Episcopo præter alia multa encomia attribuit. At vero pie non vivitur, ubi non recte creditur. Nec non Francofurtensibus Theologis & Iablonskio, quorum in unione consarcinanda spectata est perfidia, supparasitatur. 2.) Tantâ est ἀκεραιότης, ut Clementissimum Regem suum quem sumtus præbuisse gloriatur, in suspicionem adducat acsi Lutheranos invitos ad unionem compellere vellet p. XXX. Longe vero major est optimi Regis clementia, nec violenta consilia Calvinianorum Dogmatistarum, quibus regium nomen prætexere solent, benignissimo Regi tribuenda sunt. Pessima consvetudo invaluisse mihi videtur, ut venerabili Regio nomine, omnem impietatem, omnem fraudem & violentiam obte-

obtegant. Sic cum in dias luminis auras emitteret fanaticis & Indifferentisticis sordibus fœdatas phylyras Wincklerus, regiam mutuabatur inscriptionem, sub cujus qvasi velamine malitia optime latitare posset. Verum eventus voto non respondebat. Nam aulici ob temerarium hoc ausum, justissima exarsi iracundia, pagellas istas detestati sunt, & arcani Secreti potius titulo, qvam Regii insigniendum esse affirmarunt, uti e B. Domini Jo. Schultzii, Viri de studiis humanitatis præclarissime meriti, relatione constat. Videat vero auctor, ne simile fœtum suum fatum maneat. 3.) Longinquiorem ætatem Regi suo optimo, a Jove, idolo Ethnico apprecari p. XLVI. non erubuit, qvam a Christo tamen omnium bonorum largitore, optare debuisset.

§. IV. Adjuncta est præfationi Epistola quædam ad auctorem a Theodoro Pauli. U. I. D. & in Academia Albertina Professore exarata, in qua opus hoc magnifice deprædicatur. In illa non sine supina ignorantia vel malitia potius asseritur, inter Romanos, Græcos, & Protestantes in Capite de Sacra Cœna leviſſimum, & quidem de modo & forma esse dissensum, adeoque parum referre, si quis per Transsubstantiationem vel transmutationem aut transelementationem vel consubstantiationem, vel in, cum, & sub, distanter vel indistanter corpus Christi in ea exhiberi doceat. Eandem consensionem esse inter Articulum de justificatione ingeminat, & quæstionem gravissimam, an bona opera sint necessaria ad salutem? Non adeo magnum trahere momentum, sed potius inter λογομαχίας referendam esse falsissime judicat. Deus vero, qui Paulum olim Apostolum cœco impetu errantem, vocem cœlo delapsa in regiam retraxit viam, spissas errorum variorum tenebras hujus animo offusas, clarissimo divinarum literarum lumine discutiat, & vera eum sapientia illuminet!

§. V. Cap. I. pacem profanam commendat, sed eam nemo nostratium vel Pontificiis vel Calvinianis denegat. Rectissime Divus Lutherus weltlich/ inquit, wollen wir mit ihnen eines seyn / das ist / leiblichen / zeitlichen Friede halten. Aber geistlich wollen wir sie meyden / verdammen und straffen / weil wir Odem haben / als die Götzer GOttes Wort Verkehrer / Lästerer und Lügener / daneben von ihnen leiden als von Feinden ihre Verfolgung und Zurtrennung / sofern und lange GOtt leidet / und für sie bitten / sie auch ermahnen / daß sie ablassen / aber in ihr Lästern willigen / schweigen oder billigen / wollen wir nicht thun. Tom. III. Jen. f. 341. Ad pacem profanam etiam spectat pax religiosa, quam Cap. II. inculcat, & Instrumentum pacis Westphalicæ. Nam sicut in pace religiosa inter nostrates & Pontificios, ita in Instrumento pacis Westphalicæ inter nostrates, Calvinianos, & Ponficios pax externa in Imperio Romano fuit stabilita. Simul etiam sibi ipse graviter refragatur Berent. Nam p. 22. misericordia non pœna dignos

esse, qui rationibus persuaderi nequeant, monet. Cur ergo Dedicatione potentissimum Regem Borussiæ instigare aggressus est, ut nostratibus invitis unionem obtrudat?

§. VI. Cap. III. de pace & veritate agit. Quamdiu vero Calviniani veritatem divinam in articulis controversis amplecti nolunt, tam diu lingua eorum pacem prædicans, non pacem, sed turbas intendit. Nam

Sit maledictus amor, pax, & concordia semper
Quæ violat Christi dogmata sacra DEI.

Pag. 32. Lutherum cum Calvino prave comparat, & non minus hunc quam illum Ecclesiæ columnam vocitat & dilaudat. Quodsi Calvinus (ut autor existimat) Sacram Scripturam pro norma docendi habuisset, non illam suis instar iluvie sua deturpasset, & Lucianum se (quemadmodum ex puro anagrammate nomen illud fluit) in ea eludenda stitisset. Nec propter locum aliquem Sacrarum Literarum secus quandoque, non tamen contra ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, (ut adversarius perhibet) explicatum, sed propter fundamentum fidei impiis dogmatibus & glossis subrutum, facessere jusserunt cum sua turba Calvinum nostrates. Itaque insulse plane mentionem facit dissensionis inter Barnabam & Paulum Actuum Cap. XV. de non assumendo in itineris societatem Marco, coortæ.

§. VII. Cap. IV. errasse etiam Patres nascentis Ecclesiæ, concilia & primos Reformatores urget. Quid commodi exinde in suam sententiam exsculpere potest adversarius? Num ipse ab errore immunis est? Luthero quidem nostro imbecillitatem & metum circa initia Reformationis objicit p. 63. At enim vero non oriebatur metus ex causis terrenis, ut auctor putat, sed ex submisso animo, & in primis inde, quod in Papæa Ecclesia educatus nondum satis cognitum haberet, Papam esse Anti-Christum & Ecclesiam Papalem esse falsam Ecclesiam. Id enim ipse testatur Lutherus profitendo: Ich war nicht so frölich / getrost und der Sache gewiß. Denn ich wuste viel nicht / welches ich GOtt Lob! nun weiß / ja ich verstunde nicht / was das Ablaß war / wie auch alle Papisten auf einen Hauffen gar nichts davon wusten / welcher allein ümbs Brauchs und Gewohnheit willen hoch ward gehalten. Daher ich auch davon disputiret, nicht der Meinung / als wolt ich ihn verwerffen / sondern weil ich aller Ding nicht wuste / was sein Krafft wäre / hätte ichs gerne von andern erlernet. Vid. T. 1. Jen. Germ. fol. 4. col. 2. Und da ich alle argumenta (die mir im Wege lagen) durch die Schrifft von mir verlegt / überwunden hatte / habe ich letzlich dieß einige / nemlich / daß man die Kirche hören solt / mit grosser Angst und Mühe durch Christus Gnade kaum überwunden. Denn ich hielte mit viel grösserm Ernst und rechter Ehrerbietung (und thats von Hertzen) des Bapsts Kirchen für die rechte Kirchen / denn diese schändliche lästerliche Verkehrer / die itzt

des

des Bapsts Kirchen wieder mich hoch rühmen. Wenn ich den Bapst veracht hätte/ wie ihn itzt verachten / die ihn doch mit Worten sehr loben / hätte ich mich besorget / die Erde würde dieselbe Stunde sich aufgethan haben / und mich lebendig verschlungen/ wie Korah und seine Rotte.. T. 1. Jen. Germ. fol. 5. col. 1. Hunc metum inter gravissimas tentationes contemplatione verbi divini devicit Lutherus, und ist nicht nöthig / daß solch sichere thum kühne Papierklicker (vid. fol. 5. col. 2.) und freche Geister ihn deshalben antasten.

§. VIII. Caput V. eo redit, cessare in Ecclesia silentium Pythagoricum. Recte. Ergo nec nobis curandum est, quid Syncretistæ dicant, sed quid DEus per Paulum dixerit 2. Cor. VI. Com. 14. 15. 16. Ne ducatis jugum cum incredulis. Quod enim consortium justitiæ cum injustitia ? aut quæ communio luci cum tenebris ? aut quæ concordia Christo cum Belial ? aut quæ pars fideli cum infideli ? Pag. 80. suffragatur Cappello, Critico supercilioso, ejusque sententiam a Buxtorfio dudum, nuperrime ab incomparabili D. Val. Ern. Lœschero explosam defendere non veretur, acsi divinæ literæ per Scribarum culpam & negligentiam variis iisque gravibus mendis scateant. Exempli loco affert Matth. XXVII. ubi per incuriam librariorum Jeremiam pro Zacharia legi nugatur. Si vero accuratius locum illum pensitasset facillime animadvertisset, eos optime integritati & majestati Sacræ Scripturæ consulere, qui statuunt, hancce vaticinationem ab Jeremia primum prolatam, hominumque memoria conservatam per Zachariam tandem repetitam esse. Huc certe ipse Evangelista respicere videtur, cum ait, ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου λέγοντος. Quæ pag. 90. 91. ex Luthero von den Schuhflickern commemorat auctor, ad animum revocare merito debuisset. Hon minus enim illud monitum ad eos pertinet, qui Calvinianos errores, quam qui Pontificios cum veritate conjungere satagunt. Nam sceptrum Christi non magis in gratiam Calvinianorum quam Pontificiorum flecti par est. Pag. 92. calumnias meras esse adversarius nugatur, quod Theologi Julii & Regiomontani miscellam religionem introducere voluerint. Id vero quodammodo ex Obstac. XVIII. patet, &, si instituti ratio pateretur, nec ab aliis doctissimis Viris evictum esset, pluribus probarem. Interim omnes cordati Theologi in Enevaldi Svenonii, Viri eruditissimi judicio mecum acquiescent, qui Calixtinismum monet esse velamen & tegumentum, sub quo latere & secure dormire possint non solum Pontificii & Calviniani, sed & alii perplurimi hæretici. Parastatas Calixti telam hanc texere inchoantis Horneium Collegam antecessorem Dreierum, & Behmium Jun. Professores Regiomontanos, Latermannum Superint. Halberstadiensem, & nonnullos alios exiisse a nobis conqueritur, quorum Syncretistica postulata omnia & singula quippe in ὑποθέσει valde multa accurate profligata sint ab orthodoxis

Theologis, Wittebergensibus, Lipsiensibus, Gissensibus, Argentoratensibus &c. Actum hujus farraginis docet esse Libertinismum & porro Epicureismum, retrocedentem ac tendentem paulatim ad gentilismum, in quem omnis religiosa conspiratio cum heterodoxis naturali tandem inclinatione tandem resolvatur. Fructum vero hujus oleastri fuisse testatur apostasiam a vero Lutheranismo non solum nonnullorum Principum, sed & totius Academiæ Rintelliensis, contra quam hactenus inauditam defectionem scripserit Facultas Theol. Wittebergensis, Epicrisin suam omnium Academiarum nostrarum applausu approbatam. V. commentatio ejus historico-Theologica de Syncretismo hæretico p. 29. 30. Inprimis vero Dreierum magna laudum mole onerat, & qvasi obruit, virum esse contendens, in cujus vita candor ingenuus, inqve conversatione nihil fictum aut simulatum, in professione doctrinæ cælestis nihil ad fucum, multo minus ad ostentationem compositum apparuerit. Nonne vero illum omnem probitatis imo humanitatis speciem exuisse censes pie Lector, qvi fidem stipulata manu & interposita ad DEum testem provocatione datam fregit? Nonne ejusmodi hominem perjurum omni præconio indignum veluti propudium humani generis abominaberis? Quod vero duplici perjurio se contaminaverit Dreierus, docent acta Ordinis Theologici Regiomontani A. 1644. d. 30. Martii h. 9. & 10.

§. IX. Cap. VI. unionem amice tentandam esse & sine ira docet. Est ergo αὐτοκατάκριτος, dum ubiqve iras suas evomit in eos, qvi fictitiam illam unionem approbare nolunt. V. e. g. p. 96, 97, 124.

§. X. Cap. VII. contra suffragiorum copiam disputat. Igitur nec nos commoveri par est, etiamsi hodie videamus, Syncretistarum passim plus esse fere, qvam olim muscarum est, cum caletur maxime.

§. XI. Cap. VIII. pag. 156, 157. Pietistas recte qvidem rejicit, & ab unione excludit propterea, qvod Philosophiam & literas alto despiciant supercilio. Qvanto magis vero Calviniani sunt reprehendendi, qvi telis ex Philosophia drpromtis Christianam doctrinam oppugnare consveverunt. Pag. 183. Calvinianos nobiscum unam observare fidei regulam somniat, qvi nulla ferme fidei nostræ capita impiis dogmatibus intacta relinqvunt. Nonne DEI omnipotentiam negant, dum unam idemqve corpus eodem tempore in pluribus locis adesse non posse affirmant? Nonne DEI veritatem & constantiam tollunt, qvem aliud lingua promtum, aliud pectore clausum gerere, futilis eorum opinio fert? Nonne DEI benignitatem subvertunt, dum maximam humani generis partem æternis cruciatibus, nulla sontica causa adductum destinasse perhibent? Annon Articulum de Christo convellunt, qvi hîc in terra unitam carnem λόγῳ jam non esse contendunt, qvi Christo plenitudinem Deitatis, qvam corporaliter

liter habitare in eo S. Scriptura Col. II. 9. teſtatur, ſacrilegis & impiis manibus eripiunt, qvi DEum figurate & qvidem pro minima hominum parte paſſum eſſe docent. Num Divina monumenta tradunt, Sacramenta, mera ſigna, meras figuras eſſe, infantes ante Baptismum iræ filios, mortiqve non obnoxios eſſe fidem electorum vel fœdiſſimis peccatis exſtirpari non poſſe, atqve electionem intuitu fidei non fieri? Ex hiſce patet, noſtram fidem, qvantum cælum diſtat à terra, tantum a Reformata abeſſe. Perperam qvoqve auctor exiſtimat, Symbolum, ut vocant, Apoſtolicum omnia creditu neceſſaria capita continere, cum tamen conſtet, & ipſe fateatur, nullam S. Cœnæ, Baptismi, univerſalis gratiæ DEI, peccati originalis, prædeſtinationis, juſtificationis, inferni, & bonorum operum, in eo fieri mentionem. Qvæ gravia dogmata ſane nemo ſalva ſalute in dubium vocare poteſt.

§. XII. Quod ad Cap. IX. attinet, ad experientiam provoco, annon odiis, præjudiciis, vana, vana, inquam, orthodoxiæ jactantia maximopere laboret Calviniana & Syncretiſtica cohors.

§. XIII. Ex Cap. X. p. 223. ſatis apparet, Berentium id agere, ut praetextu unionis a religione diſcedamus, & turpes fiamus verorum ſacrorum deſertores. At vero ſicuti a divinis legibus nunquam recedendum eſt, ita nec in gratiam unionis ulla divina veritas abneganda vel deſerenda eſt. Novimus autem religionem noſtram non ex cerebro Papæ (uti Papæa) nec ex male ſanæ rationis figmentis (uti Calviniana) ſed ex ſolo verbo DEI profluxiſſe. Itaque valet hic illud Lutheri, CEDIMUS NULLI.

§. XIV. Cap. XI. auctor ſuaſorque eſt, ut nomen Calvinianorum memoria hominum deponatur, & obliteretur, repugnare ejusmodi nominationem 1. Cor. 1. 12. 13. ratus. Aſt Apoſtolus loquitur de fratribus ejusdem fidei, qui ob diverſa Eccleſiæ Doctorum dona diſtrahebantur in factiones, ita ut hic Petro, ille Paulo, alius alii adhæreret, & quisque ſuum Magiſtrum alteri præferret. Nobis vero res eſt cum hoſtibus veritatis, qui novam ſectam Calvino auctore commenti ſunt, eamque diffundere latius allaborant. Hinc neceſſitas ipſa requirit, ut proprio nomine deſignemus, quo videlicet eo rectius agnoſcantur, in lucem protrahantur, & evidentius diſcernantur his præcipue temporibus quibus imponere ſtudent ſimplicibus & incautis, non eſſe, cur eodem, quo veteres Calviniani, ſtudio fugiantur. Ipſa Scriptura S. & orientis Eccleſiæ ſæcula facem nobis prætulerunt, dum Sadducæos a Sadoko, Nicolaitas a Nicolao Ap. 11. 6. 15. Ebionitas ab Ebione, Arianos ab Ario, Palagianos a Pelagio nominatos eſſe legimus. Nullam ergo reperio cauſam, cur ab eo nomine abſtineamus, cum ipſi ſæpe ita ſe appellitent. Ante decem circiter annos prodiit Calviniani Scriptoris Liber, La neceſſité d' une Ligve Proteſtante & Catholi-

tholique pour le maintiem de la liberté commune, in quo Calvinianum nomen passim occurrit: les pretextes, qu' il prend pour detruire le Calvinisme p. 12, la ruine du Lutheranisme n' est pas moins de son interet, que celle du Calvinisme p. 15, la France opprime actuellement les Calvinistes p. 40. Pag. 272. coll. p. 303. Reformatos Augustanæ Confessionis socios esse affirmat. Verum quomodo Cingliani se pro sociis Augustanæ Confessionis jactitare poterunt, cum nemo eorum delibarationibus de Augustana Confessione interfuerit, cum Articulo X Zwinglius ipse rejectus & improbatus fuerit, cum ille una cum IV. aliis Civitatibus veneno Sacramentario infectis peculiarem confessionem Augustam Vindelicorum miserrit? Cur quæso Calvinus Augustanam Confessionem facem furiæ furiosus vocaverit? Cur ejus sequaces manibus pedibusque enixi sunt, ut eadem commutaretur & depravaretur? Cur non nuntium mittunt erroribus, quibus in hunc usque diem contra Augustanam Confessionem occœcati tenentur? Cur in Synodo Dordracena publice professi sunt, se Confessionem Lutheranorum nunquam recepisse? Cur in Transactionem Passavienſem non recepti sunt? cur in Instrumento pacis Westphalicæ, in quam demum cooptati sunt, statibus quidem & subditis imperii annumerantur, at a Catholicis & Augustanæ confessionis sociis manifeste distinguntur? Quæ cum ita sint quis est, qui non perspiciat, pro Augustanæ Confessionis sociis, Calvinianos haberi non posse. Pag. 248. Reformatæ Ecclesiæ doctrinam tantum e publicis, non vero ex aliis Doctorum scriptis dijudicandam esse statuit. Cum vero Catecheses & Confessiones nihil aliud sint quam Ecclesiasticæ doctrinæ compendia, adeoque hæc declarationem uberiorem & expositionem desiderent, hanc vero non alibi ac in Theologorum scriptis didacticis, polemicis aut exegeticis deprehendere liceat; necessario ad illa confugiendum est, ut sententiam planam & genuinam hauriamus. Inprimis cum Reformati confessiones suas verbis dubiis & ambiguis conflent, portentosa dogmata vel prorsus omittant vel plausibilibus & speciosis verbis emolliant, & Ecclesiasticis loquendi formulis σοφιστικῶς ad errores suos traductis exponant. Quid? quod contra nos disputantes non ex solis Libris Symbolicis, aut Papistas refellentes, non ex solo Concilio Tridentino aut Catechesibus sententiam æstimare solent. Vid. celeberrimus Deutschmannus in Anti-Crocio p. 11. sequ.

§. XV. Cap. XII. Quodsi verba illa p. 305. allata, es hat derjenige dem GOttes Willen nachzuleben und wahre Gottesfurcht zu üben / ein wahrer Ernst ist / sich wol nach keiner andern Richtschnur mehr als nach GOttes Heiligen Wort / die Bibel umzusehen und zu richten locum haberent, non tantum Formula Concordinæ, sed & Augustana Confessio & ipse Catechismus Lutheri abrogandus foret. Pag. 306. urget, prius anquirendum esse, an Formula Concordiæ ubi-

qve

que cum divinis literis conspiret, alioqui, quoad unionis negotium ferveret, pro norma judicii & decisionum haberi non posse. Verum non opus est, ut hujus rei gratia insidiosi conventus instituantur, cum toties a nostratibus jam evictum sit, eam Scripturis per omnia conformem esse. Pag. 320. decantatam & a Masio τῷ μακαρίτῃ solide refutatam fabellam, acsi Fridericus II. Danorum Rex, sub exilii pœna indixerit, ne ullus Formulæ Concordiæ vel subscriberet vel regno ejus exemplum aliquod importaret, in scenam producere non erubescit. Pag. 325. cum iis auctor facit, qui Formulæ Concordiæ non per *quia* absolute, sed *quatenus* cum verbo DEI consentiat, subscribendum esse ducunt. Hiccine vere officio boni civis satisfacit, qui homagium Principi præstiturus exciperet, se præstare aut prætiturum illud cum hac exceptione, quatenus legitimæ successionis juri non adversetur? Quid obstaret quominus Synodo Dordracenæ, Concilio Tridentino, Alcorano & Talmudi, etiam tuo libro per *quatenus* subscribamus. In Formula Concordiæ non ubiquitas, sed omnipræsentia humanæ naturæ Christi ex Scripturis asseritur, quæ cum suo Calixto turpiter inter se Berentius p. 323. confundit.

§. XVI. Cap. XIII. Fratres nostros, Calvinianos esse, affirmat. Quomodo autem fratres fidei erunt & socii religionis, qui in tam spisso errorum luto hærent? Quomodo veram fidem una nobiscum defendent, quam non habent?

In Christo Fratres non possunt jure vocari,
Quorum non Pater est DEus atque Ecclesia mater,
Et Christi una fides & cordis Spiritus unus.
Non potes esse igitur frater, Calvine, Lutheri
Est alius tibi namque Pater, Materque fidesque
Spiritus atque alius.

§. XVII. Cap. XIV. ora omnium illorum, qui Calvinianos errorum insimulant, aliquantisper obthuranda esse clamitat. Adeone latent Cinglianæ technæ, quibus olim, cum Lutherus spe lucrandæ Helveticæ Ecclesiæ publice scribere aliquamdiu cessaret, incautis persuadebant, Lutherum ad castra sua transiisse? Qua re permotus ille Heros in hæc efficacia verba erupit. Er wolle sich nu wider sie / so lange erlebe / mit seinem Gebeht und mit Schrifften als wider die Feinde Christi und seiner Kirchen finden und brauchen lassen. Adeone optamus eandem hodie fabulam ludi? Adeone obscura sunt Scripturæ loca, quæ elenchum stabiliunt, Math. VII. 10. Act. XX. 28. 2. Tim. III. 15. 2. Tim. IV. 2. 3. 4. 5? Nonne Diabolus dormitantibus imo stertentibus Vigilibus, plura discordiarum & hæresium semina in agrum Christianum dispergeret Matth. XIII? Quam anxie studerent Calviniani lupi in ovile nostrum, nemine renitente, irrumpere, & oves abreptas in infernum præcipites agere? Certe ante diluvium

Mini-

Miniſtros Eccleſiæ non divexatos, non in carcerem coniectos, non trucidatos eſſe legimus. Spiritus Sanctus potius indicat, repuditas & prohibitas eſſe graviores illorum admonitiones. Elegantiſſime illud ediſſeruit B. Seb. Schmidius in der Kinder-Zucht p. 65 & 66, ex quo libro pauca huc pertientia afferam: Ich komme faſt in die Gedancken/es ſey endlich ſonderlich durch die unglückſehligen vermiſchten Heyrahten dahin kommen/ daß man die Prediger nicht ſo ſehr verfolgt/ und getödtet/ als daß man ſie verachtet verlachet/ und aus ihren Predigten ein epicuriſches geſpött gemachet hat: hat ihnen das Predigen nicht gar verboten/ ſondern aufferlegt daß ſie nicht läſtern ſolten/ wie ſie es werden geheiſſen haben/ nicht auf die Nephilim HART predigen/ und was des dings mehr iſt. Utinam hæc recogitent, qvi Elenchum eliminare vel pauliſper vel penitus annituntur! Utinam illos moveret exemplum Anaſtaſii, Imperatoris, peſtem ejusmodi machinantis, qui tandem fulmine ictus miſerandum in modum periit! Utinam voluntarii ſilentiarii recogitent, quid Joannes Angelo Laodicenſis Eccleſiæ ſcripſerit, *quia tepidus, & neque calidus neque frigidus, ex ore meo te evomam!* Dum hæc ſcribo, audio Joannem Berentium, quominus poſteriorem quoque Philadelphianismi ſui partem ederet, repentina morte prohibitum eſſe. Quod ſi ita ſe res habet, uti fama fert, ejus ex exemplo periculum faciant reliqui Syncretiſtæ, ſibi quid ſit ex uſu. Caveant, inquam, ſibi, ne manum calamumque contra DEum & veritatem ejus attollant. Vivit adhuc, qui Aurelianum, literas contra Chriſtianos ſubſcribentem, enervatis brachiorum commiſſuris ab inſtituto repreſſit, qvi Julianum, Apoſtatam, per Parthos eo redegit, ut ſacrilega manu profluentem ex ore ſanguinem cælum verſus ſpargens viciſſe Galilæum (ita enim optimum Redemtorem noſtrum hoſtili animo appellabat) confiteri cogeretur, qvi blasphemam, Patriarchæ Calvinianorum, Neſtorii lingvam adhuc ſpirantem, vermibus erodendam demandavit, qvi in Berengarium, Caroloſtadium, Zwinglium, Oecolampadium, & tot alios nefandi Sacramentariismi Promachos tragicis mortibus animadvertit, vivit, inqvam, ſedet ad dextram patris, dominatur in medio inimicorum, nec ipſi difficile eſt, eos perpetuo ſilentio cœrcere, qvi ex Præconibus divini verbi ſilentiarios mutosqve canes efficere allaborant. *Ceſſate* ergo vos Calviniani & Syncretiſtæ *ab* exacerbando *homine* & irritanda Humana natura Chriſti, *in cujus naſo eſt ſpiritus*: neqve enim omni veſtra ſapientia & ratione aſſeqvi poteſtis, *quanti* etiam ſecundum hanc Humanam naturam per communicata ſibi divinæ omnipotentiæ, omniſcientiæ, & omnipræſentiæ attributa *æſtimatus ſit ipſe* Jeſ. II. 22.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0070
DFG

os Eccleſiæ non divexatos, non in carcerem coniectos, non trucidatos
aus. Spiritus Sanctus potius indicat, repuditas & prohibitas eſſe gra-
um admonitiones. Elegantiſſime illud ediſſeruit B. Seb. Schmidius
Zucht p. 65 & 66, ex quo libro pauca huc pertientia afferam: Ich
e Gedancken/es ſeyendlich ſonderlich durch die unglückſehligen vermiſch-
ahin kommen/ daß man die Prediger nicht ſo ſehr verfolgt/ und ge-
n ſie verachtet verlachet/ und aus ihren Predigten ein epicuriſches
t: hat ihnen das Predigen nicht gar verboten/ ſondern aufferlegt
olten/ wie ſie es werden geheiſſen haben/ nicht auf die Nephilim
was des dings mehr iſt. Utinam hæc recogitent, qvi Elen-
aulisper vel penitus annituntur! Utinam illos moveret
mperatoris, peſtem ejusmodi machinantis, qui tan-
dum in modum periit! Utinam voluntarii ſilentia-
s Angelo Laodicenſis Eccleſiæ ſcripſerit, *quia tepi-*
dus, & neque ca *us, ex ore meo te evomam!* Dum hæc ſcribo, audio Jo-
annem Berent s poſteriorem quoque Philadelphianismi ſui
partem ederet, te prohibitum eſſe. Quod ſi ita ſe res habet,
uti fama fert, ejus iculum faciant reliqui Syncretiſtæ, ſibi quid
ſit ex uſu. Cavean bi, ne manum calamumque contra DEum
& veritatem ejus att adhuc, qui Aurelianum, literas contra
Chriſtianos ſubſcriben brachiorum commiſſuris ab inſtituto re-
preſſit, qvi Julianum, A Parthos eo redegit, ut ſacrilega manu
profluentem ex ore ſangu erſus ſpargens viciſſe Galilæum (ita
enim optimum Redemtore ili animo appellabat) confiteri co-
geretur, qvi blasphemam, P inianorum, Neſtorii lingvam ad-
huc ſpirantem, vermibus erod lavit, qvi in Berengarium, Caro-
loſtadium, Zwinglium, Oecol tot alios nefandi Sacramenta-
riismi Promachos tragicis mortib t, vivit, inqvam, ſedet ad dex-
tram patris, dominatur in medio i c ipſi difficile eſt, eos perpe-
tuo ſilentio cœrcere, qvi ex Præconi i ſilentiarios mutosqve ca-
nes efficere allaborant. *Ceſſate* ergo vos Syncretiſtæ *ab* exacerban-
do *homine* & irritanda Humana natura C *naſo eſt ſpiritus*: neqve
enim omni veſtra ſapientia & ratione aſſe anti etiam ſecundum
hanc Humanam naturam per communicat nipotentiæ, omni-
ſcientiæ, & omnipræſentiæ attributa Jeſ. II. 22.

[o]

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854644432/phys_0071
DFG